

JOHN CARTER BROWN
LIBRARY



Acquired with the Assistance of the
ST. MARIANA DE PAREDES
FUND


996

14349

Lisbonne

24 mai 1873

Souvenir de M. Meiel.



Sancta Trinitas unus
Deus.



REGULÆ

seu

CONSTITUTIONES

COMMUNES

CONGREGATIONIS

MISSIONIS.




LISBONÆ

M. DCC. XLIII.



Et erat Subditus illis.
Luc. 2.

G. L. Debris delineator et sculptor Regis f.



i

PROLOGUS.
EXHIBENS NOTITIAM
TUM VITÆ
S. VINCENTII

A' PAULO,

tum ab eo institutæ

CONGREGATIONIS MISSIONIS
Functionum.

Prodeunt in lucem Typis Ulyssiponenfibus Constitutiones Congregationis Missionis, hætenus non minus ignotæ Lusitanis, quàm Vita S. Fundatoris; & sui piissimi Instituti functionum; idcirco de hac admirabili vitâ, & de istis muneribus apostolicis aliquid dicere, visum est viris sapientibus convenientissimum.



MON-
TIBUS Pyrenæis adjacet magna Galliarum Provincia, cui nomen *Aquitaniæ* videtur dedisse, Civitas dicta *Aquæ Augustæ*, seu *Tarbellicæ*; juxta quam natus est Podii, Vincentius à Paulo, vigesima die Aprilis anni millesimi quingentesimi septuagesimi sexti. Parentes ejus *erant justî ambo incedentes in mandatis Domini sine querelâ*, de paterno prædiolo viçitantes. Illum *ab infantia Deum timere docuerunt*, & *abstinere ab omni peccato*. Crediderunt

^{r.}
Vincentii ortus.

Luc. 1. 6.

Tobiæ 1. 10.

a

ei

ei custodiam ovium suarum , quas prudens puerulus sedulò pavit *in innocentia cordis sui* ; & quia de utero matris suæ , egressa erat secum *miseratio* , omnia quæ habere poterat , impertiebat pauperibus. At unius præ cæteris egestatem sentiens , totum peculium , quod multis sudoribus comparaverat , liberaliter ei largitus est. *Hæc & his familia secundum legem Dei puerulus observabat* , tum pater ejus egrigiam indolem , in filio admirans , eum misit Aquas Augustas , ut litteris operam daret. In iis ita proficit adolescens , ut ex discipulo magister citissimè factus , eas simul cum pietate in plures alumnos instillaverit. Deindè post emensum per septem annos stadium theologicum tum Tholosæ , tum Cæsaraugustæ ; in illâ priori , & celebri academiâ , lauream ; & docendi publicè facultatem adeptus , sacrum Presbyteratûs ordinem , licet dignissimus , cum timore , & tremore suscepit.

Massiliæ subindè navigans Narbónem , indè Tholosam reversurus à Piratis Tunetensibus vulneratus , & captus est. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus. In captivitate tamen positus , viam veritatis non deseruit.* Varii tyranni , quibus venditus est , tentaverunt eum pervertere. Sed blanditias eorum , & pollicitationes , sicut & rigorem contempsit : *Magis eligens affligi cum populo Dei , quam temporalis peccati habere jucunditatem ; maiores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum , improprium Christi ; aspiciebat enim in remunerationem , nec unquam , ob tam duram servitutem , sese mæstitiæ tradidit.* immò magis ac magis in auxilio superno confidenti , *cantabiles erant justificationes Dei , in loco peregrinationis suæ ; quod tantâ suavitate vocis , peragebat,*

Job. 13. 18.
 2.
Innata misericordia.
 Tob. 1. 3.
 Ibid. 1. 8.
 3.
Theologia lauream consequitur.
 4.
Captivus efficitur à Barbaris.
 Ps. 104. 18.
 Tob. 1. 2.
 Hebr. 11. 24.
 5.
Ad Ecclesiam finem revocat herum apostatam.

PROLOGUS. iii

bat, ut una ex concubinis herilibus, dulcedine modulationis illecta, eum ad nova cantica *provocaverit*, quasi more veterum Babyloniorum, ei dixisset: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*. Ad quod servus Dei, dulcisonâ voce aliquandò respondit: *Interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos, verba cantionum; at quomodò cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ!* Alia carmina cecinit, quibus mirum in modum commota mulier profana, marito, qui à Fide Christi ad Mahometi deliria defecerat, exprobravit apostasiam nefandam: *quomodo, inquit fubirata, potuisti deserere religionem, in quâ hi suavissimi cantantur hymni? Nequidem in Paradiso patrum meorum, cani posse modulatiores existimo*. Verbis foeminæ, simul & conscientiæ stimulis, perturbatus homo salubriter, necnon Vincentii consiliis illuminatus, naviculam eo comite conscendens; è terris barbaris Avenionem aufugit, ubi eum contritum, & humiliatum Prolegato Vincentius exhibuit; nec ab illo voluit unquam separari, donec Romam perductum, illum vidisset in cœnobio Sancti Joannis Lusitani cooptatum.

Exultans Vincentius premere se terram madentem sanguine martyrum, eorum visitavit Catacumbas, præcipuas sanctorum basilicas, & præsertim Petri Cathedram, quam summâ, ut decebat, prosequebatur veneratione.

Posteâ Lutetiam reversus, gravissimam diuturnamque patientissimè perpessus est furti calumniam, quâ injustus accusator, ob pecuniam sibi sublatam, coram viris maioris nominis, Vincentium convitiis atrocioribus dedecoravit. At, ex confessione ipsius furis, postmodum veritate compertâ, Viri sancti

Psalm. 136. 3.

6.
*Romam tendit
deinde Luteti-
am.*

7.
*Calumniam a-
trocem patientis-
simè sustinet.*

fama in integrum restituta est, mirantibus, & stupentibus omnibus, qui tantorum convitiorum, tantæque patientiæ testes fuerant auriti simul, & oculati.

8.
Fit Regina Castellanus & Parochus.

Factus Regiæ Galliarum Margaritæ Valesiæ eleemosinarius, totum se, in rebus conscientiæ, Sapientissimo Berullo subindè Cardinali, dèdere non dubitavit. Vincentii docilitatem mirificè probavit novus animæ rector. Siquidem duarum Clippiaci, & Castellionis paræciarum, ac nobilissimæ domûs Gondiacæ, voluit Vincentium successivè régimen sumere, & relinquere; quibus omnibus ad amussim morem gessit obsequentissimus discipulus; præmiavit copiosè Dominus obedientiam; quippè has omnes animas sanctissimè rexit. E' paræciis non modò varios sustulit abusus, necnon hæresim & crimina quæque procul amandavit; sed & promovit cultum divinum, sacras ædes ædificavit, Clericos adolescentulos in domo suâ ad pietatem finxit, senioresque sacri muneris oblitos mirabiliter reformavit. Multos nobiles, & cujuscumque ordinis viros, & mulieres, ad tantam perfectionem evexit, ut angelicam æmulari vitam dici meruerint; denique juvandis pauperibus infirmis, Castellioni primam confraternitatem charitatis instituit.

9.
Dissuadet singulare certamen.

Obedientiâ semper duce, Gondiacam domum postea reversus, innumera suæ prudentiæ, & charitatis, in hac felici domo dedit specimina. Unum; aut alterum hic prodire libet præ cæteris. Contigit Clarissimum Philippum Emmanuelem de Gondi triremium Prætorem supremum, fuisse, propter aliquam de mundano honore contentionem, provocatum ad singulare certamen. Ad aures Vincentii pervenit

PROLOGUS.

V

pervenit infelix nuntius. Rem gravissimam attentè ponderat, & ferventissimis ad Deum precibus fuis, apud se statuit omnes aditus, si possit, infausta pugnae intercludere. Fuit iste prudentissimi Viri modus efficax: Absoluto divino sacrificio, cui adfuerat Prætor Clarissimus, nullâ interpositâ morâ, & ore adhuc sanguine Agni immaculati rubescente, sic eum affatur: *Non me latet, vir clarissime, infaustum propositum, quod mente revolvis, volo inquis, legitimam vindictam sumere; at non est legitima vindicta, nisi quam Deus per se sumit, aut per suos legatos, ipsosque ab omni odio immunes. Pergendo ad talè certamen, pergis ad mortem tuam, & proximi tui, ac utriusque damnationem æternam. Times opprobrium transitorium, si dimicationem declines, quare non times sempiternum, si subeas; sed neque timendum est tibi dedecus transitorium, si pugnam istam declinando, adversario tuo peperceris; immò tunc christianè victor efficieris tui ipsius, & proximi tui. Audi Apostolum dicentem: Noli vinci à malo; sed vince in bono malum; & si non vis audire Apostolum hortantem, audi Dominum præcipientem, & pro inimicis suis exorantem. Vide Dominum tuum in Cruce pendentem, & tibi de morbo peccati languentem, de sanguine suo medicamentum facientem. His, aut similibus verbis, magnâ vi, & affectu prolatis, manus Vincentio dedit Clarissimus Præfectus, & tam perfectè adversario pepercit, ut, immensis honoribus, ditionibus; & divitiis paulo post abjectus; piissimâque conjuge orbat, Oratorii domum ingressus, sanctissimè vixerit & obierit, duos filios post se relinquens, primum Franciæ Parem, & Ducem Retensem: secundum verò Archiepiscopum Parisien-*

Rom. 12. 12.

vi PROLOGUS.

Parisiensem, & S. R. E. Cardinalem, ambo S. Vincentii alumnos.

10.
Confessionis Generalis quam audit effectus mirandi.

Alter eventus etiam feliciorē habuit exitum: Clarissima Francisca de Silly, prædicti Philippi Emmanuelis dignissima conjux, secum duxerat Vincentium suum patrem spiritualement, in sua Picardiae dominia, tunc contigit unum ex sibi subiectis colonis periculosè ægrotantem, accerere sanctum Virum, ut ipsi peccata sua Sacramento Confessionis aperiret. Benè audiebat æger apud homines; at non ita apud Deum; insanâ enim verecundiâ vitus, semper Confessariis suis, grave adolescentiæ peccatum, per multos annos miser absconderat; sicque innumera concatenaverat sacrilegia, quibus dæmon mutus, duxerat eum ad portas mortis, & Inferni. Audiens Vincentius periculum ægrotantis, ut ad messē agricola, domum advolat. Cum infirmo factus infirmus, docet, hortatur, admonet, blandissimis quidem, sed ignitis sermonibus, æternæ civitatis quanta sint gaudia, & simul quam horrenda timenda sint in peccato morientibus Inferni supplicia. Commotus homo, externâ voce concionantis, & multo magis intus gratiâ Dei misericordis, postulat audiri anteaactam vitam, & si tardè; tandem, latentem anguem évomit, peccatum scilicet tamdiu tacitum Dei Ministro manifestat. Liberatus homo gravi pondere, quo per tot annos oppressus & curvus inceserat, Deo gratias agens deplorat funestam cæcitatem, imminensque periculum, quo ad æternam abyssum festinabat. Et ut dignè puniat diuturnum, & præposterum silentium, contestatur se coram omnibus iniquitates suas plenâ voce declaraturum: *Iniquitates mee*, inquit, *sicut*

PROLOGUS. vii

cut onus grave gravatæ erant super me. Miser factus Pc. 31. 5.

eram, & curvatus usque in finem, totâ die contristatus. Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino, ministerio Vincentii servi sui; & misericors Dominus remisit impietatem peccati mei. Noverint omnes meam hypocrisim, sciant iniquitates meas multiplicatas esse super capillos capitis mei, & discant exemplo meo, confessionibus generalibus peccatores iniquitatibus oppressos, & quasi ad flammâs Inferni pertingentes, posse, si sincere resipiscant, hoc salutari, & prompto remedio, à peccatis suis sanari, ab igne devorante salvari, & vitam æternam consequi. Ejusmodi verbis absolutis, refectusque Sacramentis, felicissimus pœnitens exhalat animam. Attônitis adstantibus casu singulari, tunc exclamavit Clarissima Francisca. O' mi pater Vincenti! Si hujus mei coloni, qui benè moratus cunctis apparebat, adeò periclitata est salus, ut vix, ac ne vix quidem, sine tuo juvamine Inferni baratrum evasisset; quid erit, quæso, de salute tot millium ditionis meæ hominum, qui in eodem, & maiori discrimine jacent sopiti, & formidandæ eternitatis oblitæ. Pc. 39. 13.

Sume igitur, Pater, sume promptus de thesauro meo, & ascisce tibi socios, qui tecum liberent animam meam, quam pro salute mihi subjeetarum animarum vadem, & sponsorem esse judico. Die noctuque vacate Missionibus; & gratiâ Christi juvante, juvate derelictas animas, quas redemit sanguine suo. Congregationis Missionis origo.

Non eget aliis stimulis Vincentii Zelus. Ambianum Civitatem magnam & viciniorem advolat. Variis societatum religiosarum Prælati, offert pecuniam amplam ad sustentationem virorum apostolicorum, qui se ad Missiones in perpetuum obeundas

das applicent ; at frustra ; nam omnes , variis obicibus impediti , pecuniam abnuunt & onus. Ita disponente divinâ providentiâ , quæ Vincentium destinaverat ad instituendam Congregationem viro- rum , qui ex voto tenerentur evangelizare pauperibus. Itaque munus , ab aliis repudiatum , ipsi visum est adeò sublime , ut eo sincerè se judicaverit indignissimum. Attamen foeminæ Principis ardentem charitatem obsecundaturus , aliquot socios sibi cooptat , quibuscum , sitientibus populis porrigit aquam salientem in vitam æternam. Prioribus operariis adjuncti sunt novi , sicque *parvus fons* sensim sine sensu : *crevit in fluvium* , & *in aquas plurimas redundavit* , quæ varias mundi regiones ita facundarunt ; ut dignos fructus poenitentiae , & sanctitatis copiosos , Deo favente protulerint. Nam *anno millésimo sexcentésimo vigésimo quinto* , instituit Congregationem Presbyterorum *secularium Missionis* , qui , contemptis atque desertis mundi hujus illecebris , in communem vitam castissimam , sanctissimamque congregati , nihil proprium habentes , simul ætatem agerent ; *viventes in orationibus , in lectionibus , in exhortationibus , aliisque spiritualibus exercitiis* , quibus Clericos *seculares in scientiâ Domini* , in *Ecclesiasticis ritibus* , & *sacro instruerent ministerio* , qui perpetuo voto ad peragendum apostolicum sacrarum Missionum opus , præsertim in *Pagis* :::: ubi *jacentibus in tenebris* & *umbrâ mortis* , raro *Evangelicæ veritatis lumen affulget* , se Deo obstringerent : qui nullâ superbiâ tumidi , nullâ pervicaciâ turbulenti , nullâ invidentiâ lividi ; sed modesti , verecundi , pacati concordissimam vitam , & intensissimam in Deum , proximique salutem gratissimum munus , omnium bonorum datori offerrent.

Ester 10. 6.

Clement. XII.
Bulla Canon.
n. 12.

PROLOGUS. ix

ferrent: Ita loquitur Summus Pontifex Clemens XII. de Instituto Congregationis Missionis, cuius munia in calce hujus epitomes referemus.

Aliud Institutum, Puellarum scilicet charitatis nuncupatarum, Vincentii misericordiam multum commendat. Earum Dux, & Mater fuit, sub regimine servi Dei, Ludovica de Marillac insignis matrona, quarum virtutes heroicæ, brevi tempore, ut speratur, canonizationis triumpho decorabuntur.

11.
Instituit societatem Puellarum charitatis.

Munera Puellarum charitatis sunt sequentia:

1. Ægrotantibus egenis curandis, & inservientibus, die noctuque incredibili sollicitudine, nitore, diligentia, & amore, in propriis domibus allaborant.

12.
Ingentes hujus societatis utilitates.

2. Ægros pauperes; qui ad nosocomia deferri nolunt, in eorum ergastulis assidue visitant; iis apposita juscula, & remedia deferunt, eosque ad sacramenta piè suscipienda, dolores patienter sustinendos, & bona cœlestia appetenda, devotè hortantur, & suadent.

3. Projectitios pueros peramanter adoptant, omnemque operam infumunt, ut vitam eorum conservent, & animas virtutibus ornent.

4. Sapientissimè regunt Hospitalia Orphanorum, & tanquam matres piæ, & amantissimæ, eos docent mysteria Fidei, & omnia, quæ ad perfectam educationem pertinent.

5. Præfunt Xenodochiis ægrotorum, qui dicuntur, & reverà sunt insanabiles, ut si morbi eorum nullam admittant curationem, habeant saltem ex parte virginum piarum, omnem consolationem & omne solatium.

6. Domus mentecaptorum virorum , & mulierum , magnâ fedulitate , & prudentiâ , moderantur , & adminiftrant.

7. Adolescentulas pauperes , in fuas domos concurrentes edocent myfteria Fidei, artesque legendi, fcribendi , computandi , omniaque fœminea opificia peragendi.

8. In fuis domibus fœculares matronas admittunt , ut exercitiis fpiritualibus vacent ; ferventioribus colloquiis eas ad meliorem vitam ftimulant , & mirum in modum accendunt ; ipfasque tradunt in manus Sacerdotum , qui doctrinâ , pietate , & prudentiâ polleant.

Mira eft peritia , quâ iftæ virgines quæcumque remedia præparant , & adhibent ; necnon folertia quâ , propter continuam experientiam , morbos dignofcunt , & fanant : hæc omnia gratis , & fine ullâ mercede præter æternam , ad quam duntaxat & femper anhelant.

*Magnanima
iftarum puellarũ
charitas.*

Non debet excidere è memoriâ , virilis animus ; quo mulieres illæ fortes regunt quæcumque valetudinaria , fuæ fedulitati commiffa. Eminent præ cæteris illud , quod Ludovicus Magnus pofuit Parifis in ampliffimo palatio Invalidorum nuncupato ; ubi habitant quatuor circiter millia veteranorum militum ; qui fub umbrâ laurorum bello partarum fedēt , diesque tandem quietos , & tranquillos agunt. Videre eft in hoc nobili valetudinario , quâ modeltiâ , & fimul quâ majeltate , tot leones regunt iftæ virgines , quas ancillas obfequio , fed regimine , & fortitudine , prudentes matrefamilias , imò & amazones effe dixeris.

Loca fœtidiora , & maioris periculi intrant fœcuræ :

PROLOGUS. xi

ræ : infirmorumque peste , leprâ , & quâcumque lue laborantium , curam suscipiunt imperturbatæ ; depositâ namque proprii sexûs naturali formidine , masculo animo , necnon oculo fixo , & impávido , ejusmodi morbos contagiosos aspiciunt simul & despiciunt ; tantò citiùs & feliciùs ad cœlestem sponsum evoluturæ , in æternum coronandæ.

Tantam existimationem , tantumque affectum sibi conciliaverunt apud Gallos , Sabaudos , Belgas , & Polonos , ut quotidie laceffitum , & tribulatum se sentiat successor Sancti Vincentii libellis , supplicibus , contentionibus , & precibus importunis hominum , vel altioris Ordinis , qui sibi ad opus Dei , Puellas Charitatis concedi volunt , & avent. Sed non est modus tot postulationibus acquiescendi : sive propter multitudinem postulantium , sive propter numerum incredibilem communitatum jam fundatarum ; cum enim istas domos morte deficientes , vix possit renovare , multò-minùs valet , sine gravissimis difficultatibus , novas Virginum colonias constituere. Quippe licet magnus aspirantium & probandarum sit numerus , non tamen multæ sunt , quæ in sacram societatem ascribantur. Eliguntur enim ex millibus , idque post quinquennium probationis , quod summâ regularitate transigitur. Ibi tanquam aurum in fornace probatur earum virtus , quæ , nisi heroica foret , vix ac ne vix quidem posset frequentia , immò & ingentia evadere delinquendi discrimina ; cum viris enim malè moratis die-noctuque ut sæpius habitant in Nosocomis , & sola cum solo loqui tenetur identidem , non tamen , Deo juvante , vel minimo scandalo , aut leviori suspitioni datur locus. At undè tanta fortitudinis , &

Ubiq̄ desideratur filia Vincentii.

Ejus rara prudentia , quâ servat eas purissimas.

modestiae constantia? Sanè ex speciali praefidio Christi, copiosè remunerantis fideles sponfas, quae illi assidue serviunt in membris suis; at multùm quoque hic debetur coelesti prudentiae sancti Fundatoris. Etenim, ut filiarum Castitatem semper servaret illibatam, earumque fervorem animi redderet perennem, iussit eas ligari continentiae voto, dumtaxat pro anno currente; ita ut, si in proposito perseverent, teneantur secundo semestri ejusdem anni, precibus enixis postulare licentiam iterandi votum anno proximo sequenti, & sic deinceps. Itaut semper profectae, & semper novitiae; ligatae semper, & semper liberae, usque ad mortem perseverent castae; & semper valentes nubere nunquam nubant. Nihil sane utilius eis hac libertate nubendi, ut lubentius perseverent in sancta voluntate continendi. Nituntur enim filii Adam in vetitum, & parum, aut nihil de licitis curant, praesertim si fuerint verecunda; cujusmodi sunt nuptiae, Deo aliquando dicatis virginibus; & si, pro conditione fragilitatis humanae; quandoque tentantur, perfacile superant tentatorem. Si nubere velim, inquit, anno hoc elapso nubam, salvâ famâ, & conscientiam meam, & manente Instituti mei existimatione intemeratâ. Interea labente anno, labitur tentatio; & sic prudentes virgines, à Patre sapientissimo edoctae, hac arte piissimâ, de anno in annum suasorem libidinis eludunt, sicque annos, & annos, totamque vitam, in sancto proposito servandae virginittatis perseverant, purissimoque virginum sponso jugiter & in perpetuum adherent.

Si de caeteris Vincentii operibus piis vellemus sermonem habere, esset nobis amplissima seges; at non

prae-

*Mirus & novus
castitatem vivendi
modus.*

PROLOGUS. xiii

prætereundi sunt præscripti nobis brevitatis termini. Prætereà nonnihil ex iis delibandi erit opportunitas, hic de virtutibus ejus diserendo.

Theſauris omnibus opulentior eſt Fides, inquit Ambroſius, avari ſollicitudine, hunc pretioſum theſaurum perdere timuit ſemper Vincentius, ideoque illum apprimè cuſtodivit, & auxit. *Vivâ enim in Deum Fide animabatur, cujus dùm vixit, strenuus deſenſor, & propagator fuit.* Janſeniana hæreſis amplam, heu nimiam! Zelo ejus materiam ſubminiſtravit. Ejus Author Cornelius Janſen, ſeu Janſenius, erat Batavus; ideoque venenum in fonte hauſerat. Poſteà Lovanium ſtudiorum cauſâ veniens, funeſtam cum Abbate Sancyrano contraxit neceſſitudinem. Ambo ſuperbi, ideoque ſingularitatis, & novitatum amatores, conventu flagitioſo conſpirarunt, ad reformandam Eccleſiam, quam, tum in morali, tum in dogmate, defeciſſe blaſphemabant; quaſi errorem aut rugam habere poſſit ſponſa Chriſti, qui cum eâ manſurum eſſe ſponſondit uſque ad conſûmationem ſæculi, rogavitque Patrem cœleſtem, ut non deficeret Fides ejus, ac ſemper formoſa maneret, & ſine maculâ. At tale eſt ingenium árrogans & præſidens Hæreſiarcharū. Janſenius aſſumpſit ſibi curam reformandi ſeu emendandi Gratix dogmata. Sancyranus verò mores Eccleſiæ. Hæc omnia latebant Vincentium, qui, de omnibus benignè judicans, Sancyranum ut ſuum popularem aliquando viſitabat, viciffim viſitatus ab eo. Nam vaſtri hujus hominis ſcopus erat, ſub ſpecie ſtrictioris amicitix, errorum fuorum lethale venenum, in pectora Vincentii, & filiorum ejus infundere, ab eiſque Seminaria Galliarum regentibus,

13.
Fides Vincentii.

Clement. XII.
in Bull. Canoniz.

Hæreſis Janſeniana damnationem curat.

In Bulla Cano-
niz.

bus , in Clericos Sæculares , tum in Populos derivare. Nefandum hoc propositum detexit Dei servus , & exhorruit. Dein Sancyranum frustra de suis erroribus admónitum , omni consuetudine disjunctâ , in suo pravo sensu gemens reliquit. Videns aliundè perniciosos errores quinque famolarum propositionum Janfenii , *Sancto Dei zelo succensus* , inquit Clemens XII. *eo quantum poterat hortante , ac suadente , octoginta quinque Galliarum Episcopi , latentem pestem , ad Cathedram Petri detulerunt ; & ubi responsum Româ venit , decretum successoris Petri , submissâ animi veneratione suscepit ; & a religiosis cætibus , quos ipse fundaverat , vel quorum curam gerebat , ut inimica Fidei pestis arceretur , prima ejus cura fuit. Prætereà Regem regiosque ministros commonere non destitit , ut debitis pœnis contumaces ad obedientiam inducerent. Videri potest quod fusè scriptum est in vitâ viri sancti scriptâ gallicè , quanta fecerit , & passus fuerit , ad extinguendum hujus pravæ hæresis incendium. Eodem zelo ductus Vincentius , curavit Romæ damnari eorum hæresim , qui in monstrum Ecclesiam vertentes , ei duo capita tribuere non sunt veriti ; æqualem Petro , & Paulo auctoritatem in omnē Ecclesiam adscribentes.*

*Omnia intuetur
oculis Fides.*

Non mansit in Vincentio Fides sterilis ; sed in eo indefinenter per Charitatem operabatur , ut videre est in toto ejus vitæ decursu. Jam vidimus eum apud Barbaros , libertatis , & fortunæ munera , quæ ipsi herus medicus offerebat pro Fide Christi , magno animo despicientem. Quid ita ? Sanè quia *non paganis* , ut loquitur Augustinus , *sed christianis oculis* bona hæc transitoria speculabatur : *his oculis ultra mundanis omnia intuens vir piissimus , ad Deum omnia*

PROLOGUS.

XV

omnia referebat , & sicut omnia in Deo , sic Deum in omnibus inveniebat. Dùm ædes clarissimi Emmanuelis de Gondi habitabat , Christum Dominum in magnate , Dei Genetricem in ipsius clarissimâ conjugè , Christi Discipulos in famulis eorum , Fide illuminatus intuebatur ; unde omnes amabat , & magnificiebat , iisque omnibus utilissimus erat. Fide laceras pauperum vestes penetrans , animasque immortales prospiciens sanguine Christi redemptas , quid mirum , si pro eis sustentandis insumpserit tot nummorum myriades ? Tantisque curis & sudoribus , illorum æternam salutem procurare nifus fuerit ? Ipsamque Fidei facem splendidam , ubique terrarum voluerit accendi , ut illuminarentur qui *in tenebris* , & *in umbrâ mortis* sedebant ?

Spes christiana est Orthodoxæ Fidei Germana Soror : ideòque in Vincentio permanferunt individua. Quid namque speravit præter Cælum , & Cæli Conditorum , qui nihil in Mundo quæsit , nisi Authorem Mundi ? undè nullatenus mirandum est , quod , insurgentibus contra Vincentium , & ejus filios tempestatibus innumeris , illos semper in fiducia Dei servaverit stabiles & firmissimos. Posuerat Deus cor servi sui ut adamantem & silicem , ne crebris hominum contradictionibus frangeretur , nec quibuscumque procellosi Mundi tempestatibus , vel tantillum quateretur.

Grassante in Galliis Civili bello , nuntiant ei , suam amplissimam S. Lazari Domum , militum continuis incursionibus , suâ supellectili , suâ annonâ , & suis armentis manere spoliata , & desolata. Quid ad hæc Dei famulus ? Veluti rupes in medio maris , stat homo Dei furentibus undis , constans
sem-

14.
Spes Vincentii.

Nihil querit in mundo nisi Authorem mundi.

Dan. 13. 35.

*Mirã filiis sua-
det fiduciam in
Deo.*Philo apud Eu-
seb Hist. Eccl.
l. 2. c. 5.15.
*Amor ejus erga
Deum.*

Pl. 118.

Luc. 24. 327

*Verba ejus igni-
ta.**Familiaris Vin-
centii sententia
ejusq; in Chris-
tum dilectio.*

femper , & immobilis ; *Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino* , fore ut ejus providentia pater-
na , hæc omnia damna ipsi refarciret cum fœnore ;
sicque fluctus sævi maris , non movebant hanc ru-
pem adamantinam , sed lavabant , faciebantque
splendidiorem. *Nolite* inquiebat fociis , *nolite con-
fidere in filiis hominum , in quibus non est salus. In
solo Domino confidite ; quia non est aliud nomen in
quo oporteat nos hanc vitam quieté transigere , ac
eternam capessere. Parum aut nihil est , quod damni
vel lucri , nobis homines præstare possunt ; idèdque
nunquam de negotiis pro gloriâ Dei debite susceptis
desperemus pusillanimes ; immò quò magis desperata,
& irremediabilia videntur omnia , tunc nobis magis
in Deo confidendum est ; quia necesse est adesse divi-
num , ubi humanum cessat auxilium.*

Amore Dei adèd succensus erat Vincentius , ut
non tam fermones , quam flammæ , suis colloquiis
videretur emittere ; undè exclamabant aliquandò
circumstantes ; *Ignitum esse eloquium ejus vehemen-
ter* , & cum Discipulis Emmaûs subjungebant :
*Nonne cor nostrum ardens erat in nobis , dum loque-
retur ?* Blasphemix , quas in Deum suum audiebat ,
quasi dirissimæ sagittæ cor ejus amans transverbera-
bant. Tunc tamen zelum suum cohibens , omnem-
que erga blasfemos exhibens humilitatem & man-
fuetudinem , tantâ eos efficacîâ monebat , ut ejus
comitate devicti , furorem , & impietatem depo-
nerent , sponderentque se nunquam fore deinceps
in Deum injuriosos.

Christum Dominum amore flagrantissimo de-
peribat , auditus dicere frequentissimè : *Nihil me
nisi in Christo delectat.* Hæc aurea verba , suum in-
signe

PROLOGUS. xvii

figne erant , suum symbolum , sua norma vivendi. Hinc in eo tam ardens studium Christi sacratis vestigiis semper & in omnibus inhærendi hinc tanta cura parandi *Domino plebem perfectam* , quæ Salvatorem suum totis visceribus diligeret. Quasi alter ejus paranympus , desponderat huic uni viro Deo, Virgines purissimas exhibere sponfas , Sanctimoniales scilicet Visitationis , quarum Monasteria Parisiis , & San-Dionisi , annis ferè quadraginta , sanctissimè rexit. Hoc munus suscepit enixis precibus S. Francisci Salesii , earum dignissimi Institutoris , qui , suo solito candore , dicebat , *se nunquam , Sacerdotem Vincentio Sanctiorem agnovisse*. Præparavit alias innumeras Christo tponfas Vir Sanctissimus.

Ut dignè Sacerdotes ministrarent Deo, & restauraretur Ecclesiasticæ disciplinæ vigor pristinus ; religiosas Domos , seu Seminaria recipiendis Clericis , qui ad sacros Ordines promovendi essent , assignavit ; eosque per se , suosque Missionis socios , instruendos curavit. Pro cultu divino promovendo , miro semper & novo æstuabat ardore. Quasi Nepotianus alter , vehementer *erat sollicitus , si nitèret Altare , si parietes absque fuligine , si pavimenta tersa , si sacrarium mundum , si vasa lucentia , si janitor creber in portâ , & in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita*. Sanctæ Sedis devotissimus , Decreta Summorum Pontificum præsertim contra insurgentes hæreses , executioni mandari , pro autoritate quâ in Galliâ pollebat , aliisque omnibus , quibus potuit modis curavit.

Stupenda fuit Vincentii erga proximum Charitas , & Misericordia. Nullam non fovit ætatem , nullum

Zelusejus ad promovendum cultum divinum.

S. Hier. in Or. funeb. Nepot.

16.
Charitas erga proximum.

xviii PROLOGUS.

Thren. 2. 11.

Exod. 2. 3.

Eloquentia cœlestis Vicentii in gratiam puerulorum projectiorum.

nullum vitæ genus , & ordinem. Videns innumeros pueros lactentes à diris matribus derelictos , *deficiebant oculi præ lacrymis , & conturbata erant viscera ejus , cum deficeret parvulus , & lætens in plateis oppidi , & exhalarent animas suas.* In singulis hujusmodi parvulis , videbatur illi videre puerulum Moysen , quem mater exposuit *in carecto fluminis* , & misertus eis , suavissimis eloquentiæ illecebris , propriam commiserationem , nobilioribus Parisiorum Matronis efficaciter indidit , & impertivit. Multa nãque projectiorum millia tradiderunt adoptivæ matres nutricibus , omniaque ad eorum sustentationem necessaria perlibenter subministrarunt. At succrescente processu temporis , istorum infantium multitudine ; judicantes se tantis sumptibus impares , deliberarunt , an non pium onus intermitteret. Ad hæc audita , cõmoti sunt paterna , immò materna Vincentii viscera. *Fateor inquit , ingentes sunt pii hujus operis expensæ ; sed cogitate præmium , quod Pater Orphanorum , & Judex Viduarum , in cœlo parat miserantibus. Hactenus isti parvuli experti sunt in vobis matres amantes ; hoc vero momento formidabili , vos ipsas experturi sunt iudices. Enimverò si eos deserendos esse decernitis , interibunt ; sin autem , vivent. Itaque pronuntiate mortis , aut vitæ sententiã : at ponderate , queso , si justum est ferre judicium lethale contra innocentes.* Audientes piæ Matronæ verba hæc , excitandis affectibus tam idonea , effusæ sunt in lacrymas , & uno ore pronuntiarunt , ipsum impossibile tentandum esse , ad declinandam tam flebilem , innumerorum pucrorum stragem ; ideòque pergendum charitatis opus. In tam laudabili misericordiæ exercitio perseverarunt , donec

san xit

PROLOGUS. xix

fanxit Rex Christianissimus , alendos esse expositi-
tios ære publico.

Brevis narratio Vitæ Vincentii non permittit,
aliis ejus operibus sanctis immorari. Satis erit præ-
cipua nominare : Monasterium pro Sanctimonia-
libus Lotharingis , Hospitium pro Clericis Hiber-
niæ, Domicilium pro viris nobilibus Cromvélis ma-
gnæ Britanniæ tyrannidem declinantibus ; Parthe-
nium pro virginibus Gallis , Anglis , Scotis , &
Hibernis periclitantibus , Domum pro amentibus,
& discolis , Xenodochium pro piis ad sanctam Re-
ginam virginem peregrinantibus , Valetudinaria
pro damnatis ad Triremes , Oratoria pro captivis,
Hospitalia pro Mendicis , Refugium senibus arti-
ficibus omni fortunâ dejectis , & innumera Noso-
comia pro egenis infirmis , usquequaque erigenda
curavit. Dicit Jeremias ascendere mortem per fe-
nestras ; at Vincentius charitate Evangelica edo-
ctus , ostendit posse quoque per fenestras ascendere
vitam. Siquidem inundantibus Sequanæ aquis loca
sibi viciniora , coacti sunt qui habitabant ripas ira-
tî fluminis , ad conclavia superiora confugere ; &
voce lacrymabili conclamantes, enixè rogabant au-
xilium , quo famis simul & aquarum immergentium
evitarent imminetia discrimina. *Sed ad hæc quis
tam idoneus ? Vincentius fanè , etenim aquæ multe
non potuerunt extinguere charitatem ejus , nec flumi-
na obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam
domûs suæ pro dilectione , quasi nihil despiciet eam.*
O' misericordiæ rarum ingenium ! Industriâ navi-
cularum , facti rêmiges Vincentii filii , parentis sui
ardore charitatis inflammati , portant panem , &
alia cibaria famèlicis , per fenestras subministrant

*Levissima Series
ejus operum mi-
sericordie.*

*Nova charitatis
inventio.*

2. Cor. 2. 16.

Cant. 8. 7.

navigantes , sicque miseros è faucibus diræ mortis eripiunt.

Opem fert provinciis desolatiss.

Vitam propriam exponit ut servet alienam.

V. Rist. Chronol. della vita de S. Vincent. ad an. 1636.

17.
Variis societatibus pijs fovendis aut reformandis adjutor fuit.

Item ad an. 1647.

Lotharingiæ , Campaniæ , aliisque Galliarum Provinciis peste , bello , & fame graviter laborantibus , subvenit pius Pater pauperum ingentibus elemosynis; & Domi suæ Sancti Lazari ad duo pauperum millia quotidie , per multum tempus , refecit.

Tanta ardebat in eo Charitas , ut non modò substantiam daret affluenter; sed etiam , pro tuendâ proximi vitâ , suam tradere , & totum sanguinem effundere paratissimum se demonstraverit , quando inter furentes militum gladios profiliens , miserum artificem , è mortis faucibus in vicis Lutetiæ Parisiorum eripuit. Ad perpetuanda hæc temporalia , necnon & innumera alia spiritualia Charitatis opera , varias instituit , & fovit Sodalitates , & Congregationes , quibus adjutricibus , & gratiâ Dei suo modo cooperantibus , innumeræ animæ sanctificarentur , & ad maiorem perfectionem eveherentur.

Inter eas quæ sequiorem sexum informant memorare libet.

1 Puellas *Crucis* ; quæ voto speciali pauperes adolescentulas instituere , aliarumque foeminarum salutem procurare tenentur.

2 Puellas *Sanctæ Genovesæ* , quæ , præter puellarum educationem , plures Magistras efformant , quas postea in multis locis utquequaque disseminant. Et prætereà in suis cœnobiis ad exercitia peragenda , innumeras mulieres ruris , & urbis admittunt.

3 Puellas , quæ dicuntur *Providentiæ* , quarum munus præcipuum est dare manum , & refugium præbere virginibus egenis in castitate periclitantibus.

PROLOGUS. xxi

4 Puellas *Unionis christianæ* nuncupatas , quæ totas se dedunt ad edocendas , & in Fide corroborandas mulieres ex hæresi , Judaismo , & quâlibet aliâ infidelitate recens converfas.

5 Rogante Magno Ordinis Hierosolymitani Magistro de Lascaris , & Adjutore Natali de Sylbery Trecenti Commendatore , Reformationem hujus nobilissimi Ordinis in Gallis suscepit Vincentius. Sanctas Leges ad hoc præscripsit , potissimum , ut templa cum omni decore tenerentur , & ritè cultus divinus perficeretur.

6 Ad reformandos Canonicos , tunc immeritò Regulares dictos , Cardinali de la Rochefoucault Parisiis , & Illustrissimo Alano de Solminiac Cadurci , Consiliarius , & Adjutor fuit , ex quo duæ Congregationes magni nominis prodierunt.

7 Plurimum etiam favit Vincentius Carolo Fremont , insigni Reformatori Sancti Stephani Ordinis Grandimontii , qui nimis à pristino spiritûs fervore defecerat , nunc verò spargit in Gallis suavissimum sanctitatis odorem. Uno verbo dixerimus cum Illustrissimo Ludovico Abelli Episcopo Ruthenensi , qui testis oculatus , & Sancti familiarissimus vitam ejus scripsit prior omnium : *Vix in toto Galliarum Imperio reperitur Societas Religiosa , sive antiqua , sive recens , cui Vincentius non maximè faverit elemosynis , consiliis , præsidio , & omnium beneficiorum genere.* Non enim sibi , sed omnibus natus erat Vir misericordiæ , & benignitatis.

At si mirandus est Vincentius in amorè , quem demonstravit amicis , & supplicibus , sanè longè majori admiratione dignus est , in affectu sincero , & efficaci , quo suos infensiores inimicos persecutus est:

18.
*Vincentii heroica
dispositio erga
persecutores &
inimicos.*

S. Aug. S. 2. in
Pf. 70.

est: siquidem ut ait Augustinus: *Qui benè vult inimico suo, Deo similis est.*

*Actio Vincentii
summe charitatis
& humanitatis.*

Audiens aliquando Vir Dei, certos homines multum à se dilectos, valdè nisos fuisse ad impediendam erectionem suæ Congregationis, nihil propterea de suo in illos amore detraxit: *Eruant mihi, inquit, oculos, si voluerint, dummodò relinquunt cor, quo diligam eos.* Tanta erat ejus Humilitas, & tanta morum suavitas, ut ferociore, & magis in se infensos verbis demissis, & prostrationibus suis exarmaret; non enim respiciebat suam innocentiam, nec in se sævientium iniquitatem; sed citò ad pedes eorum procumbebat, veniam precans humillimè. Permisit tamen Deus unâ die, [ut magis sui servi resplenderet invicta charitas] quòd Superior cujusdam Communitatis, duræ, & acerbissimæ indolis, Vincentium coram se prolapsum & humiliatum, atrocibus convitiis laceraret. Vanè tentatâ omni Patientiæ, Humilitatis, & Mansuetudinis industriâ, ut furibundum animum placaret, surrexit Vincentius corde placido. ac fronte serenâ, & Domum suam reversus est. Consueverat certis anni Festis mutuo petere vestes Sacerdotales à prædicto Superiore. Recurrente unâ ex illis diebus solemnibus, fiscitati sunt filii ejus, an ab eodem homine postularentur indumenta sacra? *Itote, inquit, & nomine meo humiliter eum rogate, ut dignetur hanc gratiam nobis concedere.* Audiens Superior postulationem: *Papæ!* Inquit stupens, *an non meminit Vincentius convitiis contumeliosorum, quibus eum nuper offendi? Ipse ne est ejus ulciscendi modus? Divinum est quod cernimus: nunc sanè Vincentium afflari spiritu cælesti, nullatenus ambigendum est.*

Deus

PROLOGUS. xxiii

Deus in primâ Mundi Genesi fecit hominem re-
 ctum ; at serpens antiquus eum circumplexibus suis
 ita contorsit , ut meritò de cunctis filiis Adami dici
 possit : Quòd *conversi sunt in arcum pravum*. Sed il-
 le defectus rectitudinis , & candoris , qui miserè in-
 troducitur ab Adamo primo , feliciter reparatus
 est in secundo , qui simul jubet & adjuvat , ut si-
 mus *simplices sicut columbæ*. Hanc simplicitatem &
 rectitudinem mirum in modum participavit Vin-
 centius , cujus unicus scopus semper fuit , Dei glo-
 riam in omnibus inspicere , & per omnia indefinen-
 ter procurare. Eò spectabant omnia ejus elòquia , eò
 dirigebantur ejus cogitationes , & opera. Ab hoc
 jugiter sibi proposito sine nunquam vel tantillum
 discedebat , sive desiderio hominibus placendi , sive
 pruritu inaniter sibi complacendi. Malle se mori di-
 citabat quam vel minimum proferre mendacium.
 Verba æquivoca , hypocrisim , & assentationes su-
 pra modum abhorrebat. Pertuasos ipsum eis in Consi-
 lio Regio favisse , ab errore liberabat , quia displic-
 cebat ei error etiam innoxius , præsertim quando in
 sui gloriam redundabat. Divi Thomæ scientiam ,
 & Chrysostomi eloquentiam viris Apostolicis per-
 utilem fore cognoscebat. Sed , salvâ simplicitate
 Evangelicâ , eos Doctores , & Oratores peropta-
 bat. Nolebat filios suos docere & concionari *in su-
 blimitate sermonis , aut persuasibilibus humanæ sapien-
 tiæ verbis* ; at Christi exemplo momentis solidis , si-
 militudinibus nitidis , & exemplis authenticis. Vi-
 dete ficulneas : floribus omnino carent , & tamen
 fructum hominibus exhibent suavissimum. E' con-
 tra plantæ , quæ speciosiores flores emittunt , quo-
 cumque fructu ut sæpius deficiunt ; & quandoque
 colli-

*Ejus simplicitas
 & candor animi.*

*Præferbat mor-
 tem vel minimo
 mendacio.*

1. Cor. 2. 1.

Ibid. v. 4.

colligentis manum , spinis , & tribulis cruentant. A' tumentibus ergo , & merè splendentibus Rhetoricæ floribus abstinete , *ut non evacuetur Crux Christi* ; nec detorqueatur ad humanam gloriam , quod ex fine sibi proprio , tendere debet ad divinitam.

1. Cor. 1. 17.

Simplicitatem columbæ prudentia serpentis temperabat.

S. Greg. in Job.

1. 2.

Mira mentis ejus extensio.

Hæc , & alia docebat filios suos circa simplicitatem , quam prudentiæ volebat esse conjunctam , ut , juxta monitum Gregorii Magni , *Simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret , & rursùm serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret.* Summâ prudentiâ præditus fuit à Deo Vir sanctissimus. Quàm sagaces fuerunt oculi , qui , præter Deum suum finem primarium , & ultimum , innumera alia penetrarunt & circumspexerunt ! A' mari usque ad mare Populos scilicet Hebridarum , & Orcadium ad polum Arcticum , necnon Madagascarienses ad Antarticum , inter vastissimos ejusmodi terminos , perscrutati sunt oculi Vincentii acutissimi : Reges sedentes in folio , & Pastores jacentes in tugurio ; Clericos in Seminariis , Rusticanos in Missionibus , Magnates , & Cives in exercitiis spiritualibus , Religiosos in Cœnobiis , Sanctimonialiales in Monasteriis , Projectitios in cunabulis , senes artifices in Hospitiis , Virgines periclitantes in suis Asyis , mulieres lapsas in Pœnitentiæ locis ; mentecaptos , & dyfcolos in Domiciliis , Captivos Christianos in ergastulis , miseros tiremes in transtris , milites pietatem edoctos in castris , ægros gementes in Nosocomiis , & pauperes innumeros in Xenodochiis. Hæc omnia simul videre , hisque omnibus temporaliter , & spiritualiter providere , idque seclusâ omni confusione , immò regnante mirabili ordine , sanè , non est opus com-

PROLOGUS. XXV

communis, sed rarissimæ Prudentiæ. Porrò hæc omnia præstitit Vincentius, semper omnibus unus, & singulis totus.

Divinæ Providentiæ studiosissimus, limites ab eâ præscriptos, vel minimum transgredi, ultra quam dici potest, verebatur. Unde negotium aliquod tractaturus supremam Sapientiam invocabat, & subindè viscera negotii oculo sagaci penetrans, omniaque adjuncta circumspiciens; diù, & ante ponderatis hinc indè militantibus momentis; consultis insuper sapientibus vivis, & mortuis consiliariis, tunc de felici exitu moraliter certus, negotium aggrediebatur fortiter, finemque propositum consequiebatur. Secretum inviolabile animam esse negotiorum dicitabat; quod observabat ille fideliter, potissimum erga eos, qui apud eum deferebant aliquem defectum emendandum. Malebatque accusatorum coram se subditorum correctionem suspendere, quâ manifestandi delatorem periculum adire. Non enim ignorabat Vir prudentissimus, ex hac incautâ imprudentium Prælatorum prodicione oriri gravissima damna; siquidè accusatis struunt implacabile odium contra relatores, quod odium ut declinent relatores, in similibus circumstantiis, perpetuo silentio se condemnant circa defectus proximorum. Et sic in diem, & in horam crescunt abusus, quos Prælati nec per suos, nec per alienos videt oculos. Vincentius sedulò accusatorem occultans, per se aut per viros fide dignissimos, facti veritatem scrutabatur; ne parcendo nimis delatoribus, nocere periclitaretur innocentibus.

Festinationem quoque abhorrebat supràmòdum in negotiis: undè præproperis, & ipsum nimis urgentibus

Specialis Vincentii erga divinam Providentiam religio.

Inviolabile secretum in negotiis observabat & commendabat.

Vitia tollendi modus admodum prudens.

Festinationem abhorrebat in negotiis.

gentibus dicebat. *Gradum meum superat vestra festinatio, nec ad eam possum accedere. Sistite parumper gradum, si me vultis in itinere socium habere. Lentè procedunt opera Dei. Ponderate quantâ curatione Noë condidit arcam: centum annos insumpsit in hoc opere, quo servandum erat genus humanâ. Quod antequam Dei Filius redimeret, quatuor annorum millia fluxerant: ipseque natus de Virgine, vixit absconditus annos triginta, antequam prodiret in publicum. Incedamus igitur lento gradu, & citius diligentioribus, ad finem propositum perveniemus. Si quidem lenti, & commensurati passus, in negotiis gerendis sunt volatus. Cùm è contrâ gradus præcipites ferè semper ad præcipitia currunt. Hunc prudentissimum agendi modum tenens Vincentius, non mirum est eum tot, & tanta opera pia perfecisse & insuper ita solidasse, ut non modò etiamnum extent, sed videantur in perpetuum, divinâ gratiâ favente, permanfura.*

^{20.}
*Manfuetudo ejus
 & Urbanitas.*
 2. Tim. 2. 24.

Præcipit Apostolus Ministris Evangelicis Mansuetos esse ad omnes. Hoc præceptum mirum in modum servavit Vincentius; quippè Manfuetudo fuit in eo magnes, quo etiam ferrea corda ad se trahebat, ac omnium benevolentiam comparabat sibi facillimè. Pacem & lætitiâ ubique deferens, filios suos antea mærentes exhilarabat. Omnibus omnia factus, ut omnes faceret salvos. Cum infirmis infirmabatur, flebat ex animo cum flentibus, & gaudebat cum gaudentibus. Importuniores, & morosiores; majori comitate, & benignitate vincens, excipiebat æstuans amore, corde placido, fronte serenâ; ritu leni, & modesto. Sed præ cæteris egeni in suam benignitatem habebant jus supremum; noverat quippe

1. Cor. 9. 22.
Consolabatur afflictos.

Specialis affabilitatis erat erga pauperes.

PROLOGUS. xxvii

quippe Vir sapientissimus, quòd nisi pauperibus exhibeatur urbanitas & mansuetudo, vilitate sui status percussus, deterrentur profùs, nec audent adire Virum Apostolicum, cui propterea dictum est cecelitus: *Congregationi pauperum affabilem te facito.* Ecci. 4. 7. Suam mansuetudinem etiam multùm illustrabat, quando diserebat cum hæreticis, aliisque scrupulo, sive tentatione laborantibus; tunc enim ut amoris plena, & animo tenera mater, in filios vacillantes, & mærentes, lac suæ mansuetudinis effundebat copiosius. Hæreticos omnia contendere dicebat, magisque obdurescere, disputationibus contumacibus, & altercationibus; cedere è contrario facillimè argumentis comitate conditis.

Vehementer abhorrebat asperitatem, & amaritudinem suæ Congregationis Prælatorum, qui sibi subiectos modis inurbanis & inconcinnis à tramite sanctitatis amovebant. Unumque ex illis, qui de fociis ad eum amarulento stylo scripserat, ob hoc ipsum exautoravit. *Volebat observationem disciplinæ regularis magnâ mansuetudine doceri; quia suaderi debet magno amore, quod debet observari ex solo amore.* Porro Viri Dei mansuetudo non excedebat limites; sed medium tenens inter imbecillitatem Heli, & asperitatem Eliæ, comitem individuum habebat apostolicam fortitudinem; ut exemplo sequenti dignoscitur.

Judicabat Fœmina Princeps convenientissimum eligi filium suum in Abbatem Commendatarium Monasterii opulentissimi. Ideoque accersivit S. Vincentium, sperans fore ut eum desiderii sui, in Consilio Regis, cujus erat membrum, fautorem, & adiutorem haberet. At Vir Dei ponderans rei magnitudinem

Erga hereticos & scrupulis vel tentationibus laborantes.

Prælatos suæ Congregationis volebat esse valde mansuetos & urbanos.

Erat Vincentii mansuetudo Apostolicâ fortitudine roborata.

Mirum S. Vincentii fortitudinis exemplum.

xxviii PROLOGUS.

gnitudinem ; nec puerum septennem circiter , one-
 ri tanto idoneum judicans ; negavit se posse in id
 consentire. Instavit mater adulationibus & blandi-
 tiis ; at incassum ; perseveravit Homo Dei in justâ re-
 pulsâ ; tum furibunda mulier videns se in suâ cupidita-
 te delusam , nec posse quocumque modo constan-
 tem & immotum Dei servum , ad suam sententiam
 adducere , obvium scabellum assumens , in faciem
 venerabilis senis direxit projiciendum ; verum ille,
 ne frangerentur cervices declinans faciem , strato
 egressus scalam descendit mansuetissimus , socio tuo
 dicens mente serenâ : *Eia , frater , gratias agamus
 Deo Optimo , qui nobis jus suum tuendi , hanc dedit
 opportunitatem.* Sic Homo Dei firmitatem , & sua-
 vitatem politi marmoris imitatus , ut Paulus , ani-
 mo fortissimus erat , & simul ut Moyfes , *erat mi-
 tissimus super omnes homines , qui morabantur in ter-
 râ.* Unam virtutem alterâ temperabat ; ne Mansue-
 tudo sine Fortitudine , degeneraret in mollitiem ; &
 ne Fortitudo destituta , Mansuetudine , ad asperi-
 tatem deflecteret.

Num. 12. 3.

^{21.}
*Eximia humili-
 tas Vincentii.*
 Matth. 11. 29.

Sorores sunt , inquit Bernardus , Humilitas , &
 Mansuetudo , in eo germaniùs confœderatæ , qui
 dixit discipulis suis : *Discite à me quia mitis sum , &
 humilis corde.* Eodem fœdere junctæ manserunt se-
 per in corde Vincentii istæ speciotæ Sorores.

Natalitia sua infima , licet honestissima opportu-
 nè , & importunè semper , & ubique propalabat,
 & deprimebat.

Non alias quam Dei laudes amans , quamcùm-
 que adulationem abhorrebat. Collationem spiritua-
 lem aliquando habens cum sociis suis , dixit unus:
 Multo se rubore suffundi , dum videret se tam mo-
 ribus

PROLOGUS. xix

ribus diffitum à Venerabili Fundatore, quem Dominus effecerat sanctitatis quoddam prodigium. Ægerrimè tulit servus Dei Sermonem istum. Unde arguens loquentem Vincentius: *mos est, inquit, nostræ Congregationis nemini laudes coram tribuere. Aliquatenus tamen verè dixisti; sum enim magnum prodigium, sed perversitatis, & omnis miseriæ.*

Familiarissimum erat Viro Dei ad genua astantium procumbere, & delinquentem se proclamare propter quascùmque offensarum umbras quas in ipsos commisisse ille solus judicabat. Hocce modo castigavit oblivionem, quâ multitudine negotiorum oppressus, elemosynam egeno promissam aliquantulum erogare tardaverat.

Quod in habitatione, cibo, vestitu & suppellectili erat pejus, hoc semper ut sibi proprium assu- mebat.

E' cursu Missionum revertentibus filiis, ocreas festinus exuebat, & hypóperas ad præparatum cubiculum deferebat.

Magnâ apud Reginam Galliarum Regni moderatricem gratiâ fruens, gemens, & abnuens audivit rumores, qui illi Episcopatum & Cardinalatum ominabantur. Sicut enim in dignitatibus Auctoritatem venerabatur, sic despiciebat summè mundi fulgorem, & formidabat grave pondus. *Cavete, in- quiebat filiis suis, cavete impensè periculum virorum Deo addictorum, qui privatis Instituti sui fatentur vetitum esse gloriæ studium; sed ut communitati suæ consulant, nihil non faciunt, & sic Humilitatis scholas in Academias ambitionis, & superbiæ vertunt. Cæcitas sanè deploranda nimis! quæ mundanorum risum movet, & piorum fletus. Quid namque est Con- gregatio,*

Varii actus hu- militatis.

Utilissimo reli- giosis viris docu- mentum.

gregatio, nisi multitudo Congregatorum, & nihil ultra? Si ergo nobis singulis Congregatis fugiendi sunt plausus hominum; Quâ fronte & sinceritate poterimus Congregationi nostræ pompam, & splendorem desiderare, & consulere! Vanos ergo plausus, & plausores ab hac minimâ Congregatione procul amandemus; quia divino eloquio testante: Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.

Lnc. 16. 15.

Generalem præfaturam Congregationis Missionis vult abdicare.

Etiamsi à Summo Pontifice declaratus fuisset Præfectus Congregationis Missionis perpetuus, ad Congregatorum filiorum pedes procumbens; eos semel & iterum rogavit profusâ magnâ vi lacrymarum, ut se indignissimum tanto onere liberarent; at illi voce unanimi conclamarunt; Nullum se, quantumdiu viveret, alium ab eo Superiorem Generalem habituros. Quam repulsam cum gravissimo animi dolore tulit humilis Vincentius.

Mirus humilitatis actus.

E' longè veniente fratris sui filio plebeîâ, & vilissimâ veste induto, accersivit cunctos Domûs suæ Sacerdotes, quibus cognatum ostendens: *Ecce, inquit, parentele meæ vir nobilior, & opulentior; & quia in hac humili manifestatione naturam senserat aliquantò reluctantem, nequidem huic involuntario motui vóluit parcere; sed eum coram sociis suis vulgavit, veluti nefandum partum superbiæ suæ. Sicque verus humilitatis amator, insignem de naturâ suâ triumphum, vertit in novæ humiliatōnis argumentum.*

ipsam vanitatis umbram ad extremam persequitur.

Falsò accusatus aliquandò apud insignem Antistitem, qui propter hoc illum graviter reprehenderat, ad genua ejus illicò prolapsus veniam humillime petiit. Hujus rei testis Duvallius eximius doctrinæ, & pietate Sorbonicus, Sancti Fundatoris inno-

PROLOGUS. xxxii

innocentiæ conscius , admirans exclamavit : *O quam eximiâ humilitate pollet Vincentius !*

Dicebat Vir admirabilis , & exemplo suo demonstrabat , Humilitatem esse ab ignaviâ & animi abiectione longè diversam , immò esse magnanimitati conjunctissimam. Hanc enim excelsitatem ejus animi demonstrabant frequentissimi , quos in superbiam reportabat triumphî. Generosa quoque liberalitas , quâ sibi parcissimus , omnia veluti prodigâ manu largiebatur indigentibus ; summa etiam moderatio , quâ utebatur gratiâ Regum à quibus , omnia obtinendi securus , nihil tamen quidam poposcit , aut os aperuit ad procurandum sibi , nec suis , vel minimam gratiam : magnum denique & excelsum animum ostendit Vincentius , quando , urgentibus majoribus periculis & persecutionibus , calumniis , convitiis & contumeliis , etiam alapis cæsus venerabilis senex , non modò manebat immòtus , & æquabilis ; sed insuper ipsos persecutores amplexabatur , cumulabatque honoribus & beneficiis. Nihil ergo excelsius , nihil generosius humilitate Vincentii , de quâ meritò dicebat piissimus & doctissimus S.R.E. Cardinalis , Canonorum Regularium Parisiensium Reformator quod *si ab hoc superbo sæculo , exul judicaretur Humilitas , nullibi prudentiùs quam in corde Vincentii esset quærenda , nec feliciùs inveniendâ.*

Grandis virtutis est , inquit Hieronymus , in carne non carnaliter vivere , secum pugnare quotidie , & inclusum hostem devincere. Hanc præclaram virtutem ostendit Vincentius cunctis sensibus imperans , omnesque animi motus ad normam Fidei accuratè rédigens. Viatorum oculos recreant innocenterque

Cardinalis de la Rochefoucault.

22.
Mortificatio S. Vincentii.
S. Hier. Ep. ad viriam.

Omnes sensus domabat.

Visum.

centerque trahunt amœnitates agri , non ita contingebat Vincentio , dum iter agebat. Tunc enim in imaginem Crucifixi defixis oculis , animo volutabat dilectam familiaremque sententiam : *Nihil me, nisi in Christo delectat.* Eodem modo continebat visum , dum visitabat sumptuosa Tempa , neglectis enim pretiosis , picturis , aulæisque splendidioribus , Christum in Sacramento latentem unicè attendebat ; quem unicè diligebat.

Auditum:

Nunquam sollicitus inquirebat de nuntiis novis circa bella , aut quævis alia negotia sæcularia , ut demulceret aures , quas Evangelio consecraverat.

Olfactum:

Nec legebat unquam , nec olfaciebat flores suavis & jucundi odoris ; immò olfactum lubens affligebat , tùm in Nosocomiis , ubi frequens visitabat ægros lqualidos ; tùm in Templo Sancti Mennii apud Armòricos , ubi aliquandò quartanâ febre correptus , per noctem integram audivit Confessiones affluentium peregrinorum lue foetidissimâ laborantium.

Gustum:

Communioribus semper utebatur cibus sine delectu aut delectatione ; imò pulveribus amaris resperfos sumebat ; & oblata sibi , præter intentionem ministrantium , ova cruda , pari indifferentiâ vescebatur.

Tactum:

Manus rigentes frigore , rarò ignis calore sublevabat ; quinpotiùs corpus suum jejuniis , catenis ferreis , & cruentis flagellationibus , frequentissimè castigabat. Solâ stramineâ culcitrà pernoctans , somnum sumebat brevissimum ; & si per diem aliam quietem appeteret , reprimebat , & acriter affligebat carnem , cui bellum perpetuum indixerat.

Tantum imperium in omnes animi motus comparaverat ;

PROLOGUS. xxxiii

*Naturale cordis
affectum.*

paraverat, ut alternis, & conflctantibus inter se rebus prosperis, & aduersis, quas omnis generis in diuturnâ vitâ expertus est, semper idem, immotusque permanferit. Amorem erga cognatos ita domuit, ut illum cæteris omnibus officiosum & beneficum, ipsis solis dixiffes hostem infensum. Ex confanguineis accusatos quosdam de crimine capitali, volebant amici ut, pro gratiâ quâ apud aulam valebat, eos saltem à morte eriperet. *Quid ita? Repofuit Vincentius, annon in se æquiffimum est, ipfis que faluberrimum, ut satisfaciant iustitiæ humanæ, unde reperiantur immunes à pœnis diuinæ? At sciens postea cognâtos probasse calumniam accusatorum, nihil non fecit Vir admirabilis, ut calumniatoribus obtineret veniam.*

Qui novit sibi per abnegationem quærere pœnas indebitas, quanto magis per patientiam Christianè tulit oblatas? In seruitute positus apud Infideles sævam & perversam eorum indolem, ardentissimosque solis Africi calores, assiduè & patientissimè sustinuit. Terram ligone fodiens, sudoribus copiosis diffluens, siti violentâ consumptus, Dominorum ac sociorum convitiis laceffitus, néquidem intus submurmurabat; immò Dei, & Beatæ Virginis laudes & hymnos, jubilans, perfectâ suæ voluntatis cum divinâ consensione, decantabat; & tanquam hostiam viventem, se Deo lætus offerebat.

^{23.}
*Vincentii Pati-
entia.*

*Laboris ejus a-
pud Barbaros.*

Devastantibus Domum Sancti Lazari civilibus Galliarum bellis, referebant ei varii nuntii eripuisse & consumpssisse milites, annonam, armenta & copiosam supellectilem: Quid ad hæc respondebat novus Job? *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini*

*Belli civilis offen-
siones.*

Job. 1. 21.

e benedi-

benedictum. Domus suas Armoricæ, seu minoris Britannicæ perlustrans, ex equo decidit in rivum, annis & molestiis gravatus; & aquis madens, villici tugurium adire cogitur, ut valeat siccare vestes, idque placidissimo vultu, & corde tranquillissimo.

Mirum patientia heroica exemplum.

Parisiis in suburbio Sancti Lazari, quod suæ ditionis est, per vicum transeunte, labitur in cœnum incognitus homo, & sui lapsus falso supponens Vincentium authorem, Viro sancto propè octogenario ingentem homo ferox impingit alapam. Tunc patientissimus Christi discipulus, illicò genua flectens, iniquo percutienti porrigit alteram genam, veniam ab eo precatus, de quibus præter intentionem eum offendisset. Mitto alia innumera convitia, quibus viri procaces & protervi, abutentes patientiâ Vincentii heroicâ, vestem ejus disciderunt, eum atrociter percusserunt, aliisque contumeliis affecerunt; idque tum propter suam invictam fidelitatem in Regem, tum quia novâ erectione maximi Notocomii Parisiensis, ab otiositate & Templorum profanatione mendicos amandaverat. Non parùm etiam commendant patientiam Viri sancti, graves & frequentes ejus ægri tudines. Febre domesticâ, semper lentâ, & annuatim quartanâ divexatus est, ultimis annis vitæ suæ. Per quadraginta quinque annos passus fuerat valdè laboriosum tumorem crurum, ad quæ tandem humores acerrimi continenter decedentes, ei dolorem inurebant dirissimum; adde quod per singulas noctes, sudoribus immodicis maximo-perè debilitabatur venerabilis senex, donec lethargico morbo, morti soporem confociante, Dominus, pro quo tantum operatus & passus fuerat,

Virum

Patitur graves & diuturnas ægri tudines.

PROLOGUS.

XXXV

Virum sanctissimum ad se vocaret coronandum. Ad annum octogesimum quintum pervenerat, & ad cœlestem patriam, mirum in modum anhelabat; *Cupio dissolvi*; inquit, & *esse cum Christo*. Ad hunc felicem transitum omnia paraverat sibi, & suæ dilectæ Congregationi; tum susceptione Sacramento- rum, tum designatione Renati Almerasii in succes- sorem suum dignissimum, pro regimine sacrarum om- nium societatum, quæ tum numero, tum sancti- tate in dies crescunt, & virtutem populos exem- plo docent, adjuvante Dei gratiâ, & è Cœlo etiam- num patrocinate Vincentio Patre suo amantif- simo. Obiit piissimus Institutor annis, & meritis plenus, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo, quinto Kalendas Octobris, mœrentibus filiis suis, mortem deplorantibus pauperibus superstitis, dum qui jam de vitâ migraverant, receperunt eum exul- tantes *in æterna tabernacula*.

Id unum optat esse cum Christo; ardens cupiditate beatitudinis.

24.
Pretiosa mors S. Vincentii.

Conclamata est mors Vincentii à populosissimâ Parisiorum Civitate, veluti transitus Viri sanctissi- mi. Exequias ejus cohonestarunt, præter Borbo- nium stirpis regiæ Principem de Conti, Excellen- tissimum Summi Pontificis Nuntium, subindè Car- dinalem Piccolomini, & Clarissimam Mariam Du- cissam de Aiguillon, insignem pietate defuncti spi- ritualem filiam, innumeri alii magni nominis Viri, nobilissimæ matronæ, necnon populus immensus, qui omnes luctu unanimi deploraverunt diem, in quo orbata est Urbs inclyta tanto decore sanctita- tis. Luxit eum totum Galliarum Regnum, cui om- nibus modis servus Dei profecerat. Luxerunt mul- ti ex aliis mundi regionibus populi, ad quos se uni- versalis Vincentii Charitas in immensum dimanâ-
e 2
verat;

25.
Lugetur & lau- datur ab omni- bus.

xxxvi PROLOGUS.

verat ; hac unâ spe sublevati , quod ab hac luctuosa die , in cœlis experirentur deprecatores potentissimum ; quem jam in terris adeò feliciter experti fuerant benefactorem indefessum.

*Vincentii laudes
ab hominibus*

Laudaverunt Vincentium Poetæ perelegantibus carminibus , Oratores eloquentibus panegyricis , & Historici narrationibus fidelissimis. Inter Oratores nominandus est Illustrissimus Henricus de Maupas tunc Podiensis , dein Ebroicensis Episcopus , qui, licet per duas circiter horas mirabilia opera Vincentii narrasset , Lutetiæ in celebri Templo S. Germani Altissidorensis , nemini tædium aut satietatem peperit , sed omnibus admirationem & luctum.

Vitam S. Vincentii prior typis mandavit Illustrissimus Ruthenensis quondam Episcopus , Ludovicus Abelli ejus familiarissimus , Medullâ Theologicâ , aliisque piis scriptis apud exteros celebris. Hanc vitam Annæ Austriacæ Francorum Reginae dicatam , scripsit primùm percopioso , deinde strictiori stylo. Eum secuti sunt alii Authores quamplurimi , qui hanc vitam admirationi , & imitationi omnium Ecclesie populorum tradiderunt variis idiomatibus : Latinè , scilicet , Italicè , Hispanicè , Teutonicè seu Germanicè , Polonicè , id est , Esclavonicè ; & tandem Lusitanicè eam in lucem pereleganti stylo dedit R. Pater Josephus Barbosa , Theatinus , jubente Augustissimo Lusitanorum Rege Joanne Quinto S. Vincentii Cliente addictissimo.

Ab ipso damone.

Sonaci apud Cadurcenses in Aquitaniâ , Margarita Darfimoles puella nobilis dæmone vexata est , malâ arte fervorum , ideò capite damnatorum : pius Canonicus Regularis fungens munere Exorcistæ ,
Dei

PROLOGUS.

xxxvii

Dei nomine & Vincentii meritis eum adjuravit, ut suis iniquis vexationibus virginem liberam relinqueret. Audiens nequissimus spiritus nomen gloriosi Sancti, exclamavit: *Vincentius, Vincentius sustentabatur cibo qui Inferni venenum est. Cibus ille Vincentii humilitas erat & abnegatio sui; pro cuius rei præmio exundatione divinæ gratiæ recreatus, mundo mortuus, soli Deo vivebat in terris; nunc verò in Cælis vivit, & vivet in perpetuum.* Eo tempore, quo homines certatim & ipsi dæmones inviti, extollebant humilem Vincentium eximiis laudibus, securius, & gloriosius extulit eum Deus prodigiis, & miraculis; ita ut post Christum, & gratiâ Christi verè possit dicere Vincentius, de suo ministerio: *Cæci vident, claudi ambulant... surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Exempla horum omnium nonnulla compendiosè narrabimus: Claudius Joseph Compoing Parisinus decennis epiphorâ, seu fluxione malignâ, & insanabili correptus, visum repentè amiserat. Anno integro cum sexennio oculis orbatus permansit. Tandem persuasus, & inductu vetulæ, quæ Vincentium in juventute suâ noverat, Viri sancti sepulchrum adiit, ubi cum Deum oraret, ut sibi Vincentii meritis restitueretur visus, exclamans dixit: *Video, mater, video nobilem matronam coram me genuflexam, & orantem.* Dubia mater de veritate tam repentini miraculi, *quonam*, inquit, *vestitu amicta est? Rubeo*, respondit puer exultabundus. Et ita reverà erat. Ab illo tempore visu perfectò fruitus est.

Puellula item Parisina, cui nomen Maria Anna Lullier, Paræciæ S. Laurentii ditionis Domûs Sancti Lazari, usque ad octavum annum, clauda, & muta

Exaltatur à Deo variis portentis & prodigiis.

Matth 11. 2.

26.

Ejus miracula, aliaque gratia.

Cæco puero restituit visum.

Puella muta, & clauda reddit loquacem & gressum.

muta remanserat ; at novendialibus orationibus S. Vincentii vix peractis , *gressum* , ipsique iteratis , *loquelam* obtinuit.

Mortuum revocatur ad vitam.

Rubiasco Italiae oppido Diocesis Taurinensis in Transpadanâ , seu Pedemontio , erat mulier infelicissimi partûs , multos posuerat exanimis , ipsosque nigerrimos foetus. Succedente novo puerperio æqualiter infelici , *mortuum foetum* edidit , quem adstantes crebrò pupugerunt aculeis , ut si fortè aliqua in hoc corpusculo vitæ scintilla delitesceret , sacrâ Baptismatis undâ ablueretur , sed incassum. Unde re omninò desperatâ , confugerunt ad Omnipotentem , à quo enixè poposcerunt , ut intercedente B. Vincentio , cujus tunc celebrabatur Canonizationis octavarium , vitam naturalem , & subindè supernaturalem , vellet pusioni concedere. Respexit Dominus ad Vincentii eximia merita , & exaudivit vocem precantium : *Reversa est anima pueri intracum , & revixit* , nigerrimo ejus colore in roseum mutato. Ab hoc mirabili , & prospero eventu solent parturientes Vincentii auxilium implorare.

3. Reg. 17. 22.

Ad Vincentiū confugiunt parturientes.

Restituit Vincentius visum cæco , auditum surdo , & letitiam atrabile percito.

V. Barb. in Vita Vinc. p. 585.

Antonius Gessier Purifinus puerulus nondum trimestris , ex convulsionibus vehementissimis cæcitate , surditate & teterrimâ melancholiâ correptus est. At novendialibus precibus ad Vincentii sepulchrum inceptis , jam à primâ die pufio *Cæcus , surdus , & tristissimus* repente vidit , audivit , & exultavit.

In medium adduci possent innumera alia Vincentii miracula , quibus sanati sunt ægroti , qui insanabilibus morbis laborabant : hæmorrhagiis febribus , & fistulis inveteratis , Paralyfi , Hydropifi , Ilium procidentia , capitis , & stomachi doloribus acerbissimis , vulneribus putridis sinuosis , & anno-

PROLOGUS. xxxix

sis in hepate scyrromatibus , aliisque morbis pertinacibus , nullam curationem admittentibus , quæ omnia fusè scripta sunt à supradictis historicis. Præterea invocatus Sanctus , tempestates pacavit , incendia extinxit , innocentes à calumniatoribus oppressos liberavit , aliaque innumera signa , Deo juvante , patravit.

Pauca brevitatis causâ delibabimus de aliis supernaturalibus donis , quibus Sanctum suum mirificavit Deus. Decoravit eum Prophetiæ dono : Aliquando enim digito indicans Edmundum Joli recens in suo Instituto admissum : *Juvenis iste* , inquit, *nostram reget Congregationem*. Sic reverà contigit. Siquidem Almeraso defuncto, tertius Superior Generalis electus est Edmūdo; rarissimâq̃ prudentiâ donatus , & disciplinæ observantissimus , Domos Congregationis Missionis regimine sapientissimo gubernavit , & geminavit.

*Decoratur S. V.
dono prophetiæ.*

Joannes Darenton nobilis Sabaudix Clericus , persoluto Parisiis Theologiæ studio , & Patriam reversurus , Vincentium adiit , à quo petiit flexis genibus ut sibi benediceret. *Quid agis , Nobilis adolescens ?* exclamat humilis Vincentius genuflectens, *non tibi me , sed te mihi convenit fausta precari , & benedicere , qui brevi futurus es Episcopus Gebennensium*. Vaticanii veritatē probavit eventus ; Quippe Joannes , paucis annis elapsis , in dignitatem & S. Francisci Salesii virtutes faustissimâ sorte successit.

Multa Vir sanctus , divino aspirante numine , cognovit , speciatim felicem ad cœlos ascensum animæ Venerabilis Franciscæ Fremiot de Chantal, Sacerdotalium Visitationis cum S. Francisco Salesio

Insti-

Revelationum.

xl PROLOGUS.

Institutricis. Cùm enim è vinculis corporis soluta piissima anima , ad cœlum evolasset , pro eâ Sacra faciens Vincentius , mente raptus vidit tres globulos igneos diversæ magnitudinis , in tribus altitudinis gradibus positos : minimus assurgens junxit se secundo , & isti ambo altiori & maximo. Tunc intellexit Vir Dei primum globum significare animam venerabilis matronæ ; secundum verò animam S. Francisci Salesii ; tertium denique Sanctissimam Trinitatem, in quam ambæ animæ immersum ibant, tanquam in immensum omnis sanctitatis , & beatitudinis Oceanum.

Apparitionum

Variis se defunctus Vincentius per speciem ostendit. Quod specialiter narratur de uno ex Sacerdotibus Missionis Congregatis ut successorem eligerent Institutori. Valde dubius & anceps erat vir ille pius circa Almerasum eligendum , quem quidem noverat esse omnibus officio digniorem, sed conjunctim valetudine infirmiore, proindeque verebatur, si Almerasum eligeret, se gravem Dei maledictionem incursum. Tunc ostendens se Vincentius , vultu sereno , & radiante , viro fluctuanti & hæsitanti , dixit : *In me sit , fili mi , ista maledictio ; ideòque ne verearis Almaraso suffragari.* Moniti veritatem ostendit felix hujus electionis exitus ; siquidem Renatus Almeras prudentiâ & pietate insignis , qui è Senatore supremi tribunalis totius Galliarum Regni , factus fuerat humillimus & ferventissimus Vincentii discipulus , & imitator , Congregationem Missionis sanctè rexit , & multum auxit.

Hæc sunt ex parte genera signorum & prodigiorum , quibus Deo placuit illustrare Sanctum Vincentium.

centium. *Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus ;* Ps. 149 9.
Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex Cœle- Esth. 6. 9.
stis honorare.

P A R S II.

Functiones seu Munera Congregationis.

V Idens S. Vincentius scatere Civitates Sacer- i. Missiones ad
oppidanos & ru-
riculas.
 dotibus; loca verò campestria orbari sæpè vi-
 ris Apostolicis, qui derelictos indigenas in viam sa-
 lutis deducerent. Verbo & exemplo docuit filios
 suos Oppida & Pagos perlustrare, in iisque prædi-
 cando & catechizando verbi divini panem parvulis
 frangere; confessiones generales suadere, & exci-
 pere, jurgia & lites componere, eaque omnia gra-
 tis, necnon sub obedientiâ Episcoporum, & Paro-
 chorum beneplacito peragere. Uberrimi sunt fructus,
 quos hi operarii Evangelici ex hoc sancto ministe-
 rio, gratiâ divinâ favente, colligunt.

1 Enim Mysteriorum divinorum ignari accura-
 tè docentur omnia, quæ ad salutem pertinent.

2 Disponuntur pueri ad primam Confessionem,
 & Communionem, necnon ad Confirmationis Sa-
 cramentum.

3 Ad viginti, & quandoque ad triginta visi sunt
 hæretici prava dogmata ejurantes, & ad gremium
 Ecclesiæ toto corde revertentes.

4 Tolluntur libidinosa colloquia, cæteræque in
 castitatem delinquendi pessimæ opportunitates.

5 E' locis exulant, & sæpè convertuntur ad
 Deum meretrices, si fuerint, & publicâ poeniten-
 tiâ satisfaciunt, pro scandalo eatenus dato, turpi-
 tudinem

itudinem magnâ vi lacrymarum deplorantes , vitam que novam coram omni populo promittentes.

6 E' domibus pelluntur concubinæ , cessant divortia scandalosa , & conjuges in se reversi , factique *unius moris in domo* , concurrunt solliciti orationibus , piis hortationibus , & bonis exemplis , ad bonam institutionem proli suæ procurandam.

7 Rebelles oves , positis cunctis simulatibus , ad Pastorem , seu Parochum suum redeunt corde contrito , & dócili , omnem ostendentes ei venerationem , & amorem.

8 Popinæ seu tabernæ vinariæ ; quæ fuerant omnis iniquitatis academïæ , ubi gravabantur corda fidelium in crapulâ & ebrietate , omnibus incolis clausæ manent , & interdictæ.

9 E' medio tolluntur juramenta assidua , blasphemïæ , usuræ , furta , dilationes iniquæ æs alienum dissolvendi : malè parta ubique restituuntur.

*Alia ingentis
Missionum utilitates.*

Ephes. 6. 17.

Tanto zelo , & tam felici exitu dirimuntur lites ; ut judiciale munus gerentes , qui ex civium controversiis antea lautè vivebant , quandoque terram cogantur præ inopiâ deferere. In Transpadanâ , & Insulâ Corficâ , ardebant tantæ discordiæ , totque patrabantur homicidia , ut ferè omninò civibus orbata manerent oppida ; nec poterat quomodocumque ipsa autoritas suprema ferocientes animos cohibere. At quod non potuerat gladius Principis ; perfecit *gladius spiritûs* [*quod est verbum Dei*] in manu operariorum istorum evangelicorum , qui animi fervore , quo æstuabant , vehementem ignem accenderunt , ut corda hæc ærea liquefacerent , & vivas Christi imagines efficerent. Siquidem exemplo dîvini Salvatoris , injurias atrociores sibi illatas ,
eximiâ

PROLOGUS. xliii

eximiâ magnanimitate condonabant. Visæ sunt namque matres , & uxores incessu generoso , adire iniquos homicidas , & osculari , in signum pacis & Charitatis , manum crudelem , quæ maciaverat filios , & maritos suos. Præneste in campo Romano , visus est , ab universo populo mirante , generosus adolescens ad pedes inimici spontè prolapsus , enixè postulans amicitiam ab eo , qui sibi iniquissimè brachium absciderat. Hæc sunt gratiæ portenta , quæ operatur Deus sacro Missionum ministerio ; Quibus accensî Vincentii alumni , isto perlibenter funguntur munere : exemplo divini Pastoris , currunt ad oves errantes , donec inveniunt eas , & imponunt in humeros suos. Turbæ latronum aliquando deseruerunt montium latibula , ut audirent filios Vincentii , qui vicinioribus locis Missioni vacabant. Sed quod magis movebat admirationem Joannis Sobieski Regum Polonorum maximi , istud erat : Quod Missionarius quidam Gallus omni mortis discrimine spreto , montes inaccessos adibat , ubi noverat abscondi latrones insignes , eosque increpabat , magno zelo. At illi homines crudeles victi candore viri apostolici , nedum illi nocerent , immò venerantur & admirantur animum , qui vitam propriam exponebat , ut eos liberaret à morte perpetuâ.

Aliud insigne munus Sacerdotum Congregationis Missionis est Clericos adjuvare ad comparandas scientias , & virtutes statui suo sublîmi consentientes. Omnes vias persequuntur , quibus ad finem tam eximium valeant pervenire. Prima quam inspiravit Deus Sancto Institutori hæc fuit : Ordinandis exercitia spiritalia tradere. In iis toti sunt Missionarii ,

f 2

ut 1.

2.
Exercitia Ordinandorum.

ut 1. Conscientias eorum emundent ab omni inquinamento peccati per confessionem totius antea actæ vitæ. 2. Ut à sacrâ Ordinatione deterreant & amoveant non vocatos à Deo , qui solus vocatione suâ sanctâ idoneos nos facit ministros novi testamenti:

2. Cor. 3. 6.

Quâ quidem vocatione cœlesti , eos carere demonstrant. 1. Si ad Ordinationem accedant alio fine , quam procurandi gloriam Dei , & salutem proximi. 2. Nisi innocentiam fervaverint , aut diù in eradicandis adolescentiæ vitiis pœnitentiâ seriâ , & solidâ perseveraverint. 3. Nisi scientiam Ordini suo convenientem habeant , dicente Domino per Prophetam :

ol. 4. 6.

Quia tu repulisti scientiam repellam te , ne sacerdotio fungaris mihi. Denique eos edocent Ritus , Rubricas , & Cæremonias , quibus rectè possint Ordines suscipere , Officium Divinum persolvere , Missam celebrare , àliaque munia Ecclesiastica obire. Hæc omnia prout patitur angustia temporis. At videns Beatus Vincentius ejusmodi exercitia spiritualia breviora esse , & imparia , ut possint malos habitus Ordinandorum eradicare , ipsosque ad tantam dignitatem aptos & comparatos facere , pias Academias instituit , in quibus filii sui , nimirum Congregationis Missionis Sacerdotes , nutu Episcoporum , Clericis diutiùs & perfectiùs instituendis operam darent. Eæ autem sacræ Academiæ minora & majora Seminaria nominantur.

3.
Seminaria minorâ.

In Seminariis minoribus ad bonos mores & humaniores litteras instituunt adolescentulos , quos judicant aliquandò fore divino cultui idoneos. Longè ab eis amandant Authores prophanos & obscænos , eisque exhibent opera Sanctorum , quæ simul & pietatem cordibus instillant , & lucem afferunt menti-

PROLOGUS. xlv

mentibus. Memoriam hujusmodi puerorum pari sollicitudine colentes, non eam Catulli, Juvenalis, aut Ovidii fordibus contaminant, quin potius eam Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum elegantioribus sententiis ditescunt & ornant; ita ut quilibet ex illis *enutrit* *verbis fidei*, & factus processu temporis, *vir eloquens*, & *potens in Scripturis*, possit *bonus homo de thesauro suo proferre nova*, & *vetera*, utriusque testamenti, oracula. Gregem sibi aliquandò commissum doctrinâ sanâ instruere; exemplo vitæ innocentis provocare, & divini amoris incendio inflammare. Sed quia hæc sanctitatis germina, licet pretiosa sint, & exquisita, tardiora tamen sunt, ut eos expectare possint vastæ Diœceses Ecclesiæ suis orbatae pastoribus: & præterea ex centum adolescentulis in ejusmodi Seminario Congregatis à teneris unguiculis, vix quadraginta numerabis, qui ad Sacerdotium perveniant, sublatis cæteris præmaturâ morte, innatâ mentis instabilitate, defectu vocationis, aut valetudinis, denique malâ parentum voluntate, qui Deo oblatam sobolem eripiunt, ut in primogenitorum defunctorum locum sufficiant.

His incommodis ut occurreret S. Vincentius, Vir studio Gloriæ Dei inflammatus, & Ecclesiæ decoris amantissimus, instituit novi generis Seminaria, quæ majora ideò nuncupantur; quia in eis admittuntur majoris ætatis candidati, qui proximè ad sacros Ordines sunt evehendi. Ideoque identidem hæc Seminaria dicuntur Ordinandorum ibi enim veluti Novitiorum in Cænobiis, probatur eorum vocatio a Sacerdotibus Congregationis Missionis, qui eos ad Parochi, Confessarii, Canonici, immò & Epif-

4
Seminaria magna.

Episcopi munera dignè obeunda informant , atque Ecclesiastico spiritu imbuendos curant. Eos quandoque Philosophiam , ac semper Theologiam , sive Scholasticam , & Positivam , sive Moralem & Mysticam , necnon Polemicam , seu controversiarum edocent. Eos in cantu Gregoriano , Ritibus , Cæremoniis , & Rubricis assiduè exercent. Illis catechizandi , concionandi , Sacramenta administrandi aptiorem methodum tradunt. In enodandis casibus conscientiæ difficilioribus , & obscurioribus Scripturæ Sacræ textibus elucidandis incumbunt : & quod caput est , in moribus istorum Clericorum sanctificandis , meliori quo possunt modo , invigilant. In his disciplinis impertiendis biennium , aut triennium , pro voluntate Episcoporum , infumunt. Sanè non defunt qui has sacras Academias , tanquam superfluas carpant ; at quâ fronte supervacaneum dici potest tirocinium in Sacerdotibus , quod nemo negat esse pernecessarium ipsis factoribus , futuribus , aliisque opificibus ; quasi non esset *ars artium* [ut ait Magnus Gregorius] *regimen animarum* ! non ita judicabunt , qui meminerint oneris immensi Sacerdotum.

Neque etiam ii , qui peragrarunt regiones , in quibus mirum in modum vigent hæc Seminaria : ibi enim implentur vota Concilii Toletani , præcipientis , ut *nullus ad Sacra ministeria veniat indoctus , sed ille solus accedat , quem innocentia , seu perfecta reformatio morum & litterarum splendor reddunt illustrem ; aliter Ordinaturis , inquit , & Ordinandis imminet Dei , & Ecclesiæ vindicta.*

5.
Collationes eccle-
siastica.

Non fatis est Sacerdotibus Congregationis Missionis Clericos adjuvare à primâ Tonfurâ usque ad Sacrum

PROLOGUS. xlvii

Sacrum Presbiteratûs ordinem : illos insuper ad dignitates etiam sublimiores erectos , consiliis suis, cohortationibus , institutionibus , admonitionibus, ac zelo, humilitate & omni benignitate temperato, movent. Parochos , Vicarios , Confessarios , Universitatum Doctores, aliosve Sacerdotes in urbibus, atque etiam in cursu Missionum , apud se convocant ; & cum iis collationes habent : tum de virtutibus eorum statui necessariis, tum de solvendis conscientiæ casibus , tum de explorandis Scripturæ Sacræ , Conciliorum , & Historiæ Ecclesiasticæ locis; tum denique de convenientiori modo sacras functiones obeundi. Istis collatoribus piis , sapientissimas regulas tradidit S. Vincentius. Ex iis prodierunt viri doctrinâ & pietate insignes ; necnon plurimi Episcopali & Cardinalitiâ dignitate fulgentes. Inter eos nitent D. Ollier Congregationis Sulpitianorum piissimus Institutor , D. Fleuri eruditissimus Historiæ Ecclesiasticæ scriptor, Philippi V. Hispaniarum Regis Magister , & deindè Christianissimi Regis Ludovici XV. Confessarius. Horum conventuum Ecclesiasticorum adeo usque invaluit usus in Galliis , ut vix cujuscumque Dioeceseos inveniatur Decanatus , in quo non frequententur à singulis Clericis inibi commorantibus.

Aliud munus est filiorum S. Vincentii erga Pastores Ecclesiæ cujuscumque Ordinis præsertim Parochorum , qui , officio suo Parochiali erga suas oves præstito, & peractâ piscatione Evangelicâ tempore patchali, ad Domos Congregationis Missionis confluunt , ut exercitiis spiritualibus vacantes , reficere possint retia sua , & pulverem excutere , quem, sorte ferè inevitabili , consortio hominum contrahitur.

^{6.}
Secessus Parochorum & Confessariorum.

tur. Ibi enim conscientiam exonerant peccatis propriis & alienis; quæ ut homines & Pastores, fragilitate & consuetudine victi patrarunt. Gravissima sua onera, trutinâ sanctuarii ponderant, ac melius imposterum implere proponunt. Et ut Apostoli, è Cœnaculi solitudine Spiritu sancto pleni recedentes, ignemque divini amoris spirantes, facti Diabolo terribiles, ubique animi fervorem excitant, & frigentium hominum corda succendunt.

7.
Concursus Clericorum ad domos Missionis.

Non debet memoriâ excidere concursus inferiorum Clericorum, diebus festivis ad Domos Congregationis Missionis; ubi jugiter & indefinenter spiritum Ecclesiasticum nituntur haurire. Sic Romæ, Taurini, Cadurci Papiæ, Neapoli, Perusæ, Barcinone. Sacerdotes Congregationis Missionis, annuentibus, immò jubentibus Episcopis, juniores Clericos singulis Festis aut saltem Dominicis, Congregationis Ecclesiam convenientes, inter Missarum solemnia exerceri curant; functionibus omnium Ordinum, juxtâ præscriptum Sacri Concilii Tridentini. Illos de dispositionibus ad statum Ecclesiasticum requisitis perseveranter instruunt: iisque veneranda Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, saltem per singulos menses administrant; sicque quodammodò defectum suppleant minorum Seminariorum, quibus incolendis Parentum inopia Clericos, ut plurimum facit impares.

8.
Obsequia erga RR. DD. Episcopos.

Longâ & felici experienciâ didicerunt Præsules variarum Regionum, præsertim Galliarum, sibi devinctissimum esse Congregationis Missionis Institutum; ideoque cujusque Episcopi conscientiam, & Seminarium, regi à Sacerdotibus Missionis, res est communis, & vulgarissima. Valdè lætatur eos habere

PROLOGUS. xlix

berè sponsores Ordinationum , coram formidando
 Judice , cui danda erit ratio tot Sacerdotum , qui-
 bus manus imposuerit. Eos admittit libentissimè in
 consilio suo , ut eum adjuvent sententiâ suâ , tum in
 enodandis conscientiaë casibus , tum in distribuendis
 beneficiis; cum enim fuerint Clericorum educatores
 in Seminario , & quandoque speculatores in Mini-
 stero , nemo melius eis novit digniores ; cum aliun-
 dè , alienigenæ sint in Diœcesi , nemo minùs tenta-
 tur favere indignis. Quando verò Præful , juxta sa-
 cros Canones , sibi à Deo commissum gregem per-
 lustraturus est , Vincentii filios in ejusmodi visita-
 tionibus , aut præcursores habet aut comites , ut
 populos instituant ad confirmationem , eosque mo-
 neant , quanti ponderis & momenti sit Episcopalis
 visitatio. Hinc est quod licet istius Congregationis
 alumni communiter Seminariis Missiones præferant
 Episcopi è contra ; quamvis utrumque munus pium
 magnificent , & suo gregi procurare enitantur ; Se-
 minaria tamen Missionibus anteponunt ; persuasi,
 quod si Clerici sui in Seminariis profecerint , Mis-
 sionarii perfecti & perennes erunt Ecclesiis suis; Ut
 autem filii Vincentii respondere valeant in amore,
 quo provocantur à Præfulibus , impentè vacant va-
 stissimo studio Scripturarum , sacrorum Canonum,
 Sanctorum Patrum universæ Theologiæ , & Histo-
 riæ Ecclesiasticæ ; quia illis omninò persuasum est,
 eos qui officio suo tenentur Clericis scientiam doce-
 re, ipsatque mundi luces illuminare ; hac eâdem ne-
 cessitate teneri scientiam amplissimam possidere.

Est & alia principalis hujus Instituti functio ,
 quam Sacerdotes Congregationis Missionis erga ho-
 mines cujuscumque generis & ordinis exercent, eos

9.
*Exercitia spiri-
 tualia homini-
 bus cujuscumq;
 ordinis tradita.*

1 PROLOGUS.

ad spirituales secessum in propriis Domibus admittendo. Incredibilis est concursus fidelium in variis Europæ partibus ; sed potissimum Romæ , Lutiæ Parisiorum, Neapoli, Genuæ, Barcinone , Varsaviæ , Lugduni , & in totâ Britannîâ minori ; ubi sitibundi convolant populi, ut quâ patiuntur æternæ beatitudinis sitim, aliquando possint, mediantibus his salutaribus exercitiis , explere. Bona hujus ardoris initia , jamprehenduntur Ulyssipone.

Quo fine sunt?

Adolescentuli ad ea properant , ut doctrinam Christianam perfectè discere possint , ac sese ferventiori animo ad primam Communionem disponere.

Juvenes ut vocationem divinam agnoscant , statumque vitæ fidentiùs & securiùs eligant.

Alii ut more christiano , se ad longum & periculosum iter præparent ;

Alii ut litem , aut quodvis momenti negotium Deo commendent , & ex eo , salvâ & inviolatâ conscientîâ possint feliciter emergere ;

Peccatores , ut victrices eatenus peccandi consuetudines , Dei Omnipotentis auxilio superent, ac omnia quæcumque vitia radicitùs evellant & procul eliminent ;

Iusti tepidi , ut in frequenti veritatum æternarum meditatione , penè extinctæ charitatis , novus ignis exardescat.

Viri perfecti , ut novos Deo placendi , & serviendi modos inveniant in hac sacrâ solitudine, ubi, ait Origenes , *Aer est purior , cælum apertius , familiarior Deus.*

Seniores etiam , licet cruribus defessis , ad Dominos Congregationis Missionis concurrunt ; anhelantes solitudinem, ut se ad mortem præparent, cum
Vene-

PROLOGUS. li

Venerabili Simeone dicturi: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.*

Adverto quod ipsæ mulieres, huic divino munere quandoque participant proximiori Virginum Cœnobio, per aliquot dies commorantes, ubi, ab omnibus negotiis avulsæ, & mentis evagationibus liberæ, à Sacerdotibus Congregationis Missionis, discunt modum regendi domum christiano modo, *et cœlestem Domum, adeundi*: sed hæc cum magnâ cautelâ, & præviâ semper licentiâ Superiorum.

Hoc ipsum Officium charitatis exhibent filii B. Vincentii ipsis Monialibus in Missionum decursu; at non in civitatibus, nisi urgente necessitate gravissimâ. Non idem est de viris Religiosis, quibus aliquandò separatim, aliquando verò conjunctim, jubente Summo Pontifice, exercitia spiritualia tradiderunt. Quod non modò Romæ præstiterunt cuidam communitati Franciscanorum; sed & etiamnum Cremonæ RR. PP. Hieronymitis, ipsis enixè flagitantibus, cum ingenti fructu præstant, per singulos annos. Illud verò notandum est, quod quando tota communitas vult secessui spirituali vacare, tunc Sacerdotes Congregationis Missionis ipsos adeunt. Cum verò Religiosi pauci hæc Sancta exercitia desiderant, tunc ad Domum Congregationis Missionis pergunt. Quod jam in Ulyssipponensi Domo, maximâ astantium æmulatione, & ad sanctitatem provocatione, visum est varios Religiosos, etiam ex iis primores, & Prælatos sacris exercitationibus vacasse, & confessionum totius antea actæ vitæ repetitiones egisse.

Minus universalia sunt sequentia Sacerdotum Congregationis munia. Christianis sub captivitate Mahometano-

Luc. 2. 22.
Ab iis non excluduntur mulieres seculares in Cœnobiis.

Nec Moniales in decursu Missionum.

Libentè admittuntur Religiosi.

10.
Regimen spirituale captivorum in Africâ.

hometanorum, in Barbariâ, gementibus opem ferunt. Unusque ex illis, authoritate Summi Pontificis, Algerii Præfectus Apostolicus constituitur; isque exceptis Ordinatione, & Confirmatione, omnem Ordinariorum jurisdictionem, aliaque Episcopalia munera exercet erga quoscumque christianos in his partibus commorantes. Aliquos secum habet Instituti socios, qui omnes vi pecuniarum multos hæreticos, & apostatas Religioni, parentes filiiis, viros uxoribus, Pastores Ecclesiis, Monachos cœnobiis, ipsosque omnes libertati, & patriæ restituerunt incolumes. Plures item Virgines, in oris maritimis raptas à Barbaris, ideoque in Fide, & castitate maximoperè periclitantes, ex unguibus lascivorum tyrannorum, ingentibus sumptibus eripuerunt, easque orbatis & afflictis parentibus cum fide purâ, & lilio castitatis tradiderunt inviolatas. Nonnullos etiam Mahometanos, ipsumque filium Regis Tunetis, seu antiquæ Carthaginis, cum evidenti discrimine martyrii converterunt ad Fidem, & ad Christianorum Plagas trãstulerunt. At deficientibus facultatibus, quibus libertatem procurent aliis captivis, nituntur omnibus pastoralibus officiis eos saltèm à servitute peccati liberare; etenim Christianissimi Regis patrocinio suffultis permittunt Barbari cultum Religionis publicum. Non desunt tamen viris Apostolicis nubila tempora, quibus patiuntur à Turcis vexationes acerbissimas, ipsumque martyrium, ut contigit aliquibus ex eis. *

*
*Joannes Leva-
 cher, & Joannes
 Mômasson
 ambo Sacerdo-
 tes, & Francis-
 cus Francillon,
 Coadjutor Con-
 gregationis Mis-
 sionis, Marty-
 res, qui ad os
 tormenti bellici
 positi ad coele-
 stem patriam
 evolarunt; horum
 exemplo generoso,
 corroborati
 eorum discipuli,
 castitatis nec non
 fidei Martyri-
 um, & ipsi felici-
 ter consecuti
 sunt.*

11.
*Cura spiritualis
 Tirimium.*

Huic operi pio similis est aliquatenus, cura quâ Sacerdotes Congregationis Missionis invigilant salutis damnatorum ad Tirimies. Incredibile est quantis angantur miseris ejusmodi homines. Et quoniam impar

PROLOGUS. liii

impar est ut plurimum eorum limitata patientia tantis molestiis, non parum laborant navarchi spirituales horum Remigum, ut tandem queant miseri ad portum Summæ beatitudinis appellere. Exemplo Patris sui Vincentii catenas eorum osculantur, hortationibus utuntur ac blanditiis, ut ponderantes gravitatem suorum criminum, patienter subeant poenas longè leviores iis, quarum apud Deum sese dignos effecerunt: identidem salutaribus Missionum exercitiis eos instruunt, & commovent. Quando verò ægrotant, eos in Nosocomium a Beato Vincentio illis paratum introducunt, & misericordix tanti parentis hæredes, frequentibus visitationibus, aliisque melioribus, quibus possunt modis, consolantur, ac eorum dolores mitigant, & leniunt; grassante verò peste, aut aliâ gravi, frequenti, & contagiosâ lue, eos non deserunt. Immò & charitatis martyrium sanctè ambientes, morti transuræ se libenter exponunt, æternam vitam certò consequuturi; quemadmodum contigit multis eorum, non modo Massiliæ, sed & Genuæ, Algerii, Varfaviæ, &c. *Istud autè mortis genus, inquit S. Dionisius Alexandrinus, nihil à martyrii splendore abesse videtur;* unde loquens Martyrologium Romanum de Clericis aliisque fidelibus, qui obierunt peste, quam in fratribus curaverant, subjungit: *quos veluti martyres, religiosa piorum fides venerari consuevit.*

Apud Baroniū
ex Eusebio.

V. Martyrol.
Rom. in 28. Fe-
bruarii.

12.
*Seminaria Capel-
lanorum nava-
lium.*

Necessarii erant Presbyteri externi, qui infaustis remigibus Sacra facerent, pastorisque vicibus fungerentur; at vix poterant illi Clerici spiritum pietatis conservare, cum secularibus conviventes & commixti; ideoque Sacerdotes Congregationis Missionis

nis

liv PROLOGUS.

nis iis aperuerunt januam Seminarii sui Massiliensis, in quo velut in Arcâ Noemicâ, ab iniquitatis diluvio habitare possint securi, sub regimine Superioris hujusce domûs, qui omnem in illos habet jurisdictionem quoad hoc munus, admittens, & dimittens eos pro bonâ voluntate suâ. Simile Rupiforti Gallicè Seminarium à Christianissimo Rege institutum, regunt Sacerdotes Congregationis Missionis, ubi perinde Clericis externis, seu capellanis regiarum classium opem gerunt.

*Gallicè Rochefors
apud Sanctones.*

^{13.}
*Administratio
Communitatis
Sacri Norvini
Jesu.*

Itidem quoad spirituale, & temporale administrant Lutetiæ Parisiorum hospitium, in quo separatim utriusque sexûs artifices, ætatis provectæ, & adversæ fortunæ, quasi duabus communitatibus distincti, virorum scilicet ac mulierum, admodum christianè, & piè vivunt; pro modulo suo laborantes, laboremque suum variis pietatis exercitiis condientes, & interpolantes; eaque omnia sub oculis S. Vincentii alumnorum, qui erga illos Parochorum indefesso funguntur officio.

^{14.}
*Parochia Insularum
Borbonia, &
Mauricia.*

Borbonia, & Mauricia Insulæ maris Æthiopiæ, ubi variæ sunt Francorum Coloniae, Sacerdotibus Congregationis Missionis commissæ sunt regimini, in rebus æternitatis. Mirus est animi fervor incolarum, inter quos visæ sunt ipsæ mulieres transire exundantia flumina, ne anhelatâ Missa privarentur. Afros, quibus Galli mercatores utuntur ad piscationem, venationem, & agrorum culturam, assiduè instruunt filii Vincentii, ut quos Sol Africanus denigravit, baptismo dealbare possint *in Sanguine Agni*. Sub Zonâ verè torridâ uruntur viri Apostolici intolerandis Solis ardoribus, ut fervent oves sibi commissas ab ardoribus sempiternis. Ibi, post vitam

PROLOGUS.

IV

vitam innocentissimam, & verè apostolicam, obiit paucis abhinc annis, reverendus Joannes Renatus Abot ejusdem Instituti Sacerdos, Christi bonum, & optimum, post se relinquens eximiæ virtutis odorem.

Beatus Vincentius, cujus immensum zelum vix poterat aliquod bonum opus evadere, adjutor fuit in jaciendis fundamentis, celeberrimi Missionum exterarum Seminarii Parisiensis. Mirum in modum delectabatur, studiosus venator animarum in mittendis viris Apostolicis, qui obvias in majori discrimine salutis positas, ubique terrarum converterent. Multos misit, ut jam notavimus, in majoris Britanniae ditiones, nimirum apud Anglos, Scotos, Hibernos, Hebridenes, & Orcadenes insuper apud incolas maximæ insulæ Sancti Laurentii, scilicet Madagascarentes, apud quos, in odium castitatis, & fidei, Stephanus alter fuit protomartyr Congregationis Missionis, cum duobus gloriosæ palmæ sociis. Primus erat coadjutor ejusdem instituti, & vocabatur Joannes Pattè; Secundus verò erat ipsa insula Sancti Laurentii oriundus, unus ex quatuor neophytis, qui anno 1659. baptizati fuerant Parisiis in ædibus Sancti Lazari sub oculis Beati Vincentii.

Alii ejus filii, inchoante præsentis seculo, perrexerunt usque ad imperium Indiarum, & Sinarum; & etiamnum, licet urgente adversus viros apostolicos persecutione, superstes manet Pequini Theodoricus Pedrinus Anconitanus, nomine præfecti mificæ præcedentium Imperatorum. Breve Consolatorium scripserat Clemens XI. Joanni, seu Ludovico Appiani, ejusdem Congregationis Sacerdoti, qui

15.

Missiones extræ.

qui propter nomen Jesu Christi, vincetus fuerat, & malè acceptus. Idem Summus Pontifex Joannem Mullener Missionarium Belgam humillimum, & studio salvandarum animarum flagrantissimum, iussit inaugurari Episcopum Miriofœum. Mirum est quantâ sedulitate, & quanto labore regat gregem suum, apud Sinas hinc inde dispersum. Jam sibi Clerum constituit ex illâ natione; sub regulâ Sancti Patriarchæ sui Vincentii. Semper quæsitus ad necem à quadraginta quinque annis circiter, currit undique visitans oves sibi à Summo Pastore commissas, ad humeros portans minutas merces, licet propè octogenarius, ut nomine circumforanei mercatoris, furentium Bonzororum, seu falsorum Sacerdotum, crudelem evadat persecutionem. Sudores Apostolici Antistitis, Deus jam nunc remunerat animi fervore, quo ejus profelyti ad Deum tendunt. Videre est cum ingenti gaudio eorum filias, quarum ardens, & pium desiderium vix potest homo Dei cohibere, ne inconsideratè, & ante tempus virginitatis votum emittant.

16.
*Directio Sancti-
monialium San-
cyrannarum.*

Jam notatum est Missionarios declinare spirituale regimen Sanctimonialium. Verùm in hoc ipso Universalis Vincentii Zelus aliquam exceptionem admittit, decernens, ut observavimus; in decursu Missionum flagitantibus Monialibus ibi existentibus, exercitia spiritualia posse concedi. Ipse piissimus Institutor, enixis precibus Sancti Francisci Salesii, per annos ferè quadraginta, pater spiritualis fuit duorum Monasteriorum visitationis; quod etiam concessum est alteri amico suo videlicet illustrissimo Sevino Cadurcensi Episcopo, in gratiam Parthenii nobilium virginum suæ Diœceseos,

PROLOGUS. Ivii

seos ; quod sapientissimus Antistes ad earum educationem dotaverat.

Eâdem mente secundus Beati Vincentii successor Edmundus Joli , precibus urgentissimis christianissimi Regis Ludovici Magni , socios aliquot intulit , qui à confessionibus essent Sanctimonialibus Sancyranis , & ducentis quinquaginta puellis nobilissimis earum discipulis , quas omnes ad vitam spiritualem instruerent. Mira est educatio , quâ instituantur istæ Virgines. Nam præter doctrinam , & pietatem christianam , docentur Urbanitatem , Historiam Sacram , Musicam , Arithmeticam ; Geografiâ Scutarîæ tesserae artem , perfectiorem modum legendi , scribendi , suendi , phrigio opere laborandi , & aulæa pretiosa texendi pro cultu , & decore altarium , & Templorum. Uno verbo , docentur omnia , quæ decent virginem christianam , puellam nobilem , & mulierem fortem ; tum ut vitent otiositatem cunctorum vitiorum parentem , tum ut possint , processu temporis , utiles esse monasteriis , ad quæ vocatione Divinâ perrexerint ; vel prudenter regere familiam propriam , & exemplo esse matronis suæ patriæ , ad quam , anno vigesimo completo , revertuntur : tantorum bonorum intuitu , huic oneri subjecerunt humeros Sacerdotes Congregationis Missionis.

Præter Puellas charitatis , de quarum Congregatione jam supra dictum est , distinguendæ sunt duplicis generis matronæ item charitatis : aliæ , quæ possunt dici *Paræciarum* , aliæ vero *Provinciarum* , primas dicimus *Paræciarum* ; quia unicuique ejusmodi societatum incumbit tantum juvare

h pau-

17.
Societates Charitatis, in subsidiis Paræciarum.

pauperes suæ Parochiæ. Constare solent hæ fraternitates principalioribus loci matronis, quæ ætatis sint maturæ, id est saltem quadraginta annorum, & in quibus resplendeant mores optimi: ex iis eligitur præses, seu, ut aiunt, Priorissa, Assistens etiam & Æconoma, quibus, & cæteris præest Parochus. Huic adjungitur laicus benè moratus, annis saltem quinquaginta natus, qui procuratoris nomen, & munus habet. Hoc utilissimum Institutum, quod totum est in juvenem ægrorum bonis temporalibus destitutorum, ab infimis Galliæ locis, ad civitates pervenit; & ab his, ad Urbem regiam, & aulam; ubi summâ cum admiratione & ad charitatem provocatione, videtur Regina Christianissima, præfere se in hoc pio munere clarissimis aulæ matronis; exhaustis enim facultatibus in sinum pauperum infirmorum, advôcata ipsorum, & mendica apud magnates efficitur; ac per singulos menses congregata cum suis Ducissis, aliisque foeminis Regni principibus, audiunt omnes attentissimè conciones de necessitate; & præstantiâ elemosynæ, quas alternas habent ad eas Versallienfes Parochi, Congregationis Missionis alumni.

18.
Societas charitatis,
in subsidium
Provinciarum.

Diximus esse tertium genus mulierum; quæ in-
stinctu S. Vincentii glorioso charitatis titulo decorantur; & dici posse *Provinciarum*; quia earum immensa charitas vix potest limitibus contineri; quandoque enim ad remotiores, non modò Regni, sed & mundi provincias magis diffitas extenditur, ut cum admiratione visum est, Vincentii temporibus, in Clarissimâ Mariâ Ducissâ de Aiguillon, omnibus dotibus insignis, quæ copio-

PROLOGUS. lix

copiosissimis donis , varias Domos in Galliâ , Italiâ , & insuper in Asiâ , in Africâ , & in Americâ , ad subsidium Captivorum ac Infidelium erexit , & Christianæ charitatis portenta monstravit.

Munera solita nobilissimarum matronarum sunt sequentia :

1 Nosocomiorum Infirmis omnem quam possunt consolationem dant , & omne subsidium.

2 Eos docent Religionis Mystera ; & jam ipsis Vincentii diebus , septingentos & septuaginta hæreticos , aliosque Infideles , suo mirabili studio , ad Religionem converterant.

3 Ipsæ felicem ortum dederunt educationi mirandæ , quæ projectiis infantibus liberaliter Lutetiæ Parisiorum conceditur.

4 Præcipuum earum munus est juvare Provincias , dum affliguntur bello , peste , fame , incendio , grandine , aliisque calamitatibus publicis.

Inter eas floruerunt Maria Gonzaga ; deinde Polonorum Regina piissima. Magna Hetruriæ Ducissa Ludovici magni Patruelis soror , Lamoniæ Principis Senatûs Parisiensis piissima conjux ; Clarissima D. de Miramion Societatis Sacræ Institutrix , aliæque innumeræ.

Incredibile est , quantum suppeditaverint Vincentio istæ Matronæ , ut desolatis Provinciis ; Vir misericordiæ succurreret. Decies sexcies centena millia librarum Turonensium consumptæ sunt ; in subsidium Artesiæ solùm & Lotaringiæ.

Cætum ineunt cunctis feriis quartis , in ædibus Priorissæ ; iisque omnibus præest per se aut per substitutum suum Superior Generalis Congregationis

Ix PROLOGUS.

nis Missionis , Præpositus earum ex suo officio perpetuus.

19.
*Regia Domus
Militum Invali-
dorum.*

Rex Christianissimus Ludovicus Magnus Sacerdotum Congregationis Missionis valdè studiosus eis demandavit spirituale régimen vastissimi Palatii , quod extruxit pro militibus Invalidis , id est , membro quodam abalienato afflictis. Ut post martios labores diù exantlatos , aliquandò tandem quiescant , cum solis animæ hostibus belligerantes. Magno animi oblectamento vident filii Vincentii Dominum exercituum , quâlibet horâ diei stipatum , ingenti numero veteranorum gloriosis cicatricibus splendentium , qui , animo & corpore demisso , eum adorant ferventissimi , magnâ vilacrymarum deplorantes , se minùs fecisse pro Deo , quam pro Rege , & honore suo. Ad audiendum verbum divinum & frequentanda Sacramenta nituntur ferè semper & anhelant. Nec propterea credendum est , eorum animos pietate frangi , aut aliquatenùs debilitari , immò quanto pientiores , tanto sunt animosiores ; unde sæpè sæpius bellum reverti postulant , & identidem obtinent. Tunc velut urfi ferocientes in hostem ruunt , pro Rege , patriâ , & honore , toto animo certantes , sub oculis Dei eos impense remuneraturi. Dum è contra ignavè pugnant milites moribus perditis , continenter timentes perdere vitam , quam unicam credunt , & turpiter amant. Aut si in eis supersit aliqualis fidei scintilla , hac modicâ luce illuminati aliud nihil vident , quam abyssum æternam , & atrociora tormenta sibi parata , quibus merito contèrriti , & omninò mente perturbati , hostili gladio succumbunt. Hæc manifesta veritas illu-

PROLOGUS. Ixi

illustratur exemplo militum , qui , factâ sibi Missionem , jubente Ludovico XIII. Francorum Rege , a Vincentii filiis anno millesimo sexcentesimo trigesimo sexto , ad castra reversi sunt victores. Hanc Missionem innovarunt , & perennem effecerunt Sacerdotes Congregationis Missionis , quando hujus amplissimæ Domûs Invalidorum spirituale regimen assumpserunt ; siquidem , adventantibus semper novis militibus , ædes Invalidorum habent semper undè zelo suo , materiam copiosam subministrant. Præter enim solitum ministerium , quod pluribus veteranorum millibus exhibent , incumbit eis hos tyrones pietatis , edocere Mysteria Fidei , & totius antea actæ vitæ peccata sedulo , & patienter audire. Undè hæc Parochia Invalidorum , meritò diceretur Missio perpetua.

Magis formidandæ sunt Sacerdotibus Missionis, ^{20.} *Paracia Regiæ.* Paraciæ Regiæ. At videns Anna Austriaca Regis pupilli filii sui , & totius Regni moperatrix, indulgisse B. Vincentium Augustissimo conjugii suo Ludovico XIII. Sacerdotes Missionis , qui Sedanensem Parochiam regerent ; hoc exemplo freta , postulavit á Renato Almeras Vincentii Successore proximo , aliquot socios , ad Parochiam Regiam Fontis Bellaquei , pari sollicitudine administrandam. Abnuit onus quantum potuit , & reluctatus est vir piissimus ; sed frustra ; sermo enim Reginæ urgebat. Deindè Ludovicus Magnus , ædificatâ civitate Versallienfi , dixit non æquum esse sibi negari , quod suæ matri concessum erat ; ideòque & illi dati sunt Sacerdotes Missionis ad regendam in spiritualibus novæ civitatis Rega-

Ixii PROLOGUS.

Regalem Paræciam. Pluribus tandem hominum millibus ampliato populo, alteram institui voluit Ludovicus XV. eique Sacerdotes Congregationis Missionis itidem præfici. Iis omnibus jussionibus Regiis mærentes obtemperaverunt, optimè intelligentes viri cordati, periculofum esse mundi commercium, etiam Ministris Evangelicis, eosque perdifficile, in medio turbinis, & iniquitatis, vitam agere quietem & innocentem. Sed qui consolatur humiles, consolatus est Pastores afflictos; copiosis namque benedictionibus, cumulavit gregem, quem sibi concredi tantoperè verebantur. Ipsique experientiâ discunt, quæ in Seminariis debeant Parochos edocere; & vicissim Parochi circumstantes, eorum exemplo norunt modum edocendi populos; siquidem non in multis defunt filii Vincentii, ex iis quæ verbo, oratione, & exemplo possunt ovibus prodesse, easque ad ovile beatum Superni Pastoris adducere.

27.
Sacella Regia.

Amor Ludovici Magni, erga Sacerdotes Congregationis Missionis, visus est modum præteriisse, ipsos introducendo in penetralia Palatii magis intima, ut Sacello Regio deservirent. Hæc magnanimi Regis prædilectio, iis peperit admirationem, qui norunt inanes mansisse nitus quarundam communitatum, quæ saltem in aliquo Versalliarum angulo voluissent figere domicilium. Vincentii filii longè aliter cogitantes, magis alias, quam istam Domum communiter habitare concupiscunt. Unus eorum, qui præ cæteris, occursum magnatum, & affluentiam populorum fugiebat, glorioso sibi nomine, vocatus est: *aule solitarius*. Hic solitudinis ordinatus amor, nequaquam

PROLOGUS. Ixiii

quam Apostolico muneri noxius erat ; siquidem multos aulicos primi nominis ad tantam perfectionem evexerunt , ut ex iis aliqui , præter confessionem Sacramentalem , rationem conscientiae suæ identidem reddant , undè dignoscere queant modum magis ac magis Deo placendi ; Alii , per singulos dies , ad Sacram Synaxim accedunt , alii verò exercitiis spiritualibus frequenter vacant.

In hoc sumptuosum & magnificum Sacellum voluerunt Magnates , sub principatu Ludovici magni , introducere filios suos , ut inibi Canonicorum munere fungerentur. At Rex propositio- nem explosit. *Nolo* , inquit , *dimittere Missionarios meos , in locum eorum subrogaturus Clericos , qui amatoribus obsequiis , immoderato luxu , & ambitione immodicâ , graviter offenderent Deum , ne dum colerent , mihiq; & omnibus scandalo essent.* Undè filii Vincentii , quandiù Rex adest , more Canonicorum semper Missam & vespas celebrant cantu Gregoriano , quo summo perè delectatur Ludovicus XV. valdè sollicitus religiosus Princeps , ut Superior Generalis Missionis ad Sacellum Regium mittat cantores , qui ad harmoniam canant.

Piissimæ recordationis Jacobus II. magnæ Britanniae Rex , Ludovici Magni exemplo fretus , obtinuit Sacerdotes Congregationis Missionis , qui Regium ejus Sacellum Londini administrarunt , quod præstiterunt , donec à factione hæreticorum è Solio pulsus , venit Gallias , ubi eximiae pietatis innumera dedit specimina , exercitiis spiritualibus annuatim vacabat Monarcha piissimus. Multùm & ipse jucundabatur , & piè movebatur

lxiv PROLOGUS.

vebatur cantu Ecclesiastico Sacerdotum Missionis, inter quos Officium Divinum in Templo S. Lazari Parisiis interdum aderat; memorem & gratissimum se probans officiorum spiritualium & temporalium; quæ Vincentii filii subditis suis Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, variis temporibus contulerant.

21.
Sanctuarium Beatissimæ Virginis.

Sacerdotes Congregationis Missionis plurimi faciunt, ut decet, Dei Genitricis Sanctuarium, quæ pietati suæ concredita fuerunt. Hujusmodi sunt Tempora Beatæ Virginis de Rosâ apud Aginates, Beatæ Virginis de Stellâ apud Laudunenses, &c. At præ cæteris elucet Sanctuarium Beatæ Virginis Buglosiæ in Parochiâ Podii, seu Poi, ubi natus est S. Vincentius. Incredibilis est concursus, quo hoc Templum undelubet advolant populi, præsertim maioribus Genitricis Dei solemnitatibus. Adventantes turmas peregrinorum admonet ex suggestu Sacerdos Congregationis Missionis, præcipuum pietatis erga Virginem, imitationem esse Virginis; ideoque si reverà Dei Genitricem venerentur, teneri ipsius exemplo, tum offensas in filium ejus abhorrere, tum ad virtutes ejus eniti; & subindè suadet confessionem, in quâ verè Deo, & proximo reconcilientur, vitæque novæ & perfectæ ad solidum fundamenta jacent. Utiles sunt istæ peregrinationes sacræ, sicut & Missiones, mulieribus, quæ, cum obiter, & casu infelici, contra castitatem ex humanâ fragilitate peccaverint, proprio pastori, quem quotidie sub oculis habent, præ pudore muliebri, delictum aperire, non est illis animus; iis, aliisque pœnitentibus manus dant filii Vincentii,

PROLOGUS. lxx

centii ; ut augeant numerum verorum clientum
Reginæ Angelorum , cui & ipsi omnino fervitu-
tem specialiter exhibent , die solemni ejus ad cœ-
lum Assumptionis.

Hanc potentissimam cœli patronam omnibus
modis venerantur Sacerdotes Missionis , in cap-
tandâ verò terrenorum patronorum benevolentia
planè rudes sunt & inexperti ; animum tamen in-
gratum erga benefactores oblatos penitus abhor-
rent , imò ad perpetuam beneficiorum memoriam,
non solum pro illis ad Deum juges fundunt pre-
ces ; sed & eis imagines erigunt in domo , cui
beneficia concessa sunt ; & in ædibus Sancti La-
zari Lutetiæ Parisiorum ; ubi consistit Generalis
Præpositus , penetrabile est eximium , in quo picti
videntur Summi Pontifices , Reges , alique Prin-
cipes , & omnes benefactores insignes , qui huic
Instituto faverunt.

Urbano VIII. debet hæc Congregatio Bullam ^{Pontifices}
sue erectionis , in quâ hæc verba leguntur : *Hoc
Institutum est Deo acceptissimum , hominibus verò
utilissimum prorsusque necessarium ; adeo ut tam
utilis Instituti propagatio summoperè expetenda ,
imò etiam procuranda videatur.* Præterea hic Sum-
mus Pontifex Institutum istud in Almâ Urbe ad-
misit.

Alexander VII. Bullam edidit , in quâ hoc
Institutum confirmavit , & Constitutione , quæ
est inter Bullas ejus 126. & incipit *apostolica sol-
licitudo* , omnes in Urbe , & sex Episcopatibus
suffraganeis promovendos , in Romanâ Congrega-
tionis domo exercitia Ordinandorum obire jus-
sit.

^{23.}
*Insignes hujus
Instituti benefa-
ctores.*

Ixvi PROLOGUS.

Innocentius , sanctæ memoriæ Papa XI. Parochos Urbis in eâdem domo , pro spiritalibus exercitiis secedere mandavit.

Innocentius XII. hanc praxim , ultrâ Parochos, ad Confessarios Urbis extendit , & perpetuo decreto stabilivit. Insuper domum Sanctorum Joannis , & Pauli , seu de monte Célio , in perpetuum Congregationi Missionis univit.

Clemens XI. Instituti studiosissimus , hoc ipsum decretum confirmavit ; & alio jussit , ut Clerici Romani , per aliquot menses in domo Congregationis Missionis , se ad Ordines Sacros recipiendos disponerent. Roboravit mandatum , quo Eminentissimus Cardinalis Cencius indixerat , ut Clerici Archiepiscopatus sui Firmani , in Seminario Congregationis Missionis , per multos menses, ad Sacros Ordines instituerentur.

Benedictus XIII. die 13. Augusti 1729. dedit Breve Beatificationis S. Vincentii à Paulo , hujus Instituti Authoris.

Clemens XII. Bullâ Canonizationis 1737. die 16. Junii , eum in numero Sanctorum adscripsit.

Benedictus XIV. qui hodie B. Petri sedem feliciter occupat , cum esset Archiepiscopus Bononiensis in suâ Civitate Missionarios convocavit , Missionemque felicissimi exitûs , præsentia suâ frequenter decoravit , & ab hoc tempore vias meditatur instituendi , & dotandi domum ejusdem Congregationis. Eo multùm approbante , Eminentissimus Cardinalis Alberonus publicæ rei quoddam apud Hispanos administer , in suâ natali Civitate Placentinâ , non domum religiosam , sed pala-

PROLOGUS. Ixvii

palatium vastissimum ædificavit , & regiâ magnificentiâ dotavit , ut ibi multi Congregationis Missionis alumni , suis omnibus fungerentur muneribus. Alii , non modo copiosam facultatum suarum partem dederunt , ad dotandas hujus Instituti domos , sed eis insuper seipfos obsequio consecrarunt. Ejusmodi est pia , & generosa oblatio Clarissimi Marchionis Pianezzi , publicæ rei in Aulâ Sabaudix administrari primarii , qui , amplâ domo Congregationis Missionis ædificatâ , & dotatâ , in eâ , omnium admiratione , functus est usque ad mortem humili officio ostiarii. Sancta hujus domûs initia miros fructus protulerunt sanctitatis. Vix potest exprimi quo fervore spiritûs annunciabatur , & suscipiebatur Verbum Dei. Sancti per antonomasiam in Pedemontio vocabantur , & etiamnum vocantur à populis , quasi proprio , & unico nomine , filii Vincetii. Hinc religiosus affectus , quo Regiæ Stirpis Sabaudix Principes illos prosequuntur. Taurinensem hujus Congregationis domum vocitabant provinciarum suarum *arcem munitissimam*. *Ecce* , inquit Serenissimus Carolus Emmanuel , *ditionis meæ viros sanctiores* , digito monstrans duos Vincentii alumnos , qui priores ex Sacerdotibus Missionis , ejus subditis evangelizaverunt Verbum Dei.

Caroli Emmanuelis filius , Victor Amedæus Rex Siciliæ , & subindè Sardinix , unum è Sacerdotibus Missionis , reverendum scilicet Mainum assumpsit in filiorum regionum educatorem , propriæ conscientix rectorem , & consiliarium universalem. Ipsum ægotantem frequens invisébat , ipsique defuncto libavit lacrymas. Succedentibus

Ixviii PROLOGUS.

amanti Regi variis calamitatibus , *hei mihi !* dicebat gemens , *si vixisset Manus meus , tanta adversa salubribus consiliis prevenisset.* Voluit religiosus Princeps tanti viri jacturam ex ipsius focis reparare. Accersivit unum ex antiquioribus , qui munus Confessarii Regis detrectavit. Secundum vocavit , nunc fungentem Parisiis officio Assistentis Generalis Congregationis Missionis , qui similiter abjecit onus. Siccitans anxius Monarcha repulsæ causam ; *quia inquirunt , deest nobis robor invictum , quo , sub eterne salutis discrimine , tenetur confessarius Regum inordinatos eorum affectus coercere.* Promisit Rex cupidus omnigenam docilitatem ; at illi , demisso quidem , sed constanti animo , munus oblatum abnuerunt. Non attendebant viri pii , humilitate suâ sanctè delusi , se in ipsâ responsione generosâ , exhibere fortitudinem , quâ se orbatos putabant , & asserbant.

Serenissimus magnus Hetruriæ Dux Cosmas tertius accersivit Florentiam Metropolim suam , Sacerdotes Congregationis Missionis. Elapsis aliquot annis Canonici regulares , in quorum locum successi fuerant , ex decreto Clementis XI. postularunt à Benedicto XIII. sibi restitui domum ablatam. Jussit hic Summus Pontifex , ut , factis causæ inquisitionibus novis , jus unicuique redderetur. Tunc Serenissimus Gasto Medicæus , regii fundatoris successor , & filius , factus est advocatus Missionariorum ; omnesque hujus conditionis Episcopi , novitatis timore perculsi , ad Summum Pontificem scripserunt litteras , quibus enixè rogabant , ne privaret greges suos operariis , qui ipsos eatenus , pabulo veritatum Evangelicarum ,

PROLOGUS. Ixix

rum, mirum in modum refecerant. Undè Papa Benedictus XIII. decreto definitivo sancìvit, ne quisquam in posterum, Sacerdotes Congregationis Missionis, à possessione domûs Florentinæ deturbare pertenderet. In tantâ existimatione est illa domus, ut aliquando visus fuerit præful, deofculari parietes, exclamans: *O' beatum Sanctuarium, in quo tot cæli janitores habitant!*

Ladislaus Sigismundus, & Joannes Casimirus Poloniæ Reges, à Serenissimâ conjugè Mariâ Ludovicâ Gonzagâ, Vincentii quondam Lutetiæ Parisiorum discipulâ, didicerunt multa, quæ noverat, copiosorum fructuum è functionibus hujus Instituti perceptorum; undè capti amore Congregationis Missionis, à Sancto fundatore postularunt socios, qui regalem Sanctæ Crucis Paræciam Varfaviæ moderarentur. Obscutus est Regum votis Sanctus Vincentius; & exindè varii sacre propaginis sùrculi, se ad varias Poloniæ, Lithuanie, Russiæ minoris, & Prussiæ regalis extenderunt.

Ludovicus Justus Rex Christianissimus, huic Instituto nascenti admodùm favit. Volebat religiosus Princeps in Vincentii Seminariis institui omnes Galliarum Episcopus, qui eligerentur in posterum; imò & suos milites, ut dictum est, ad prælium, & victoriam sancto Missionum exercitio præparari. Ut verò Sedani cives hæretici facilius ad fidem converterentur, jussit amplissimam civitatis Parochiam à Missionariis administrari. Et ibidem de thesauro regio dotatum est Seminarium, in quo multi Clerici ad scientiam, & pietatem instituerentur. Defuncto piissimo Rege,
post

lxx PROLOGUS.

post audita Vincentii sancta monita ; facta est Anna Austriaca totius regni moderatrix , quæ beatum Institutorem ad sanctiora Ecclesiasticarum rerum consilia adhibuit , & voluit pupillum Regem Ludovicum XIV. provolvi ad genua Venerabilis Viri. Precatus est ei Vincentius benedictiones copiosas , quæ hunc Monarcham ad sublimius gloriæ culmen evexerunt. Dignissimus hæres affectûs , quo profecuti fuerant regii parentes Congregationem Missionis , illam innumeris beneficiis auxit , diuturno suo , & florentissimo principatu ; nam , præter multas domos , quas illis ædificavit in Galliis , assignavit annua vectigalia de regio ærario , quibus novem hujus Instituti operarii evangelici alerentur in perpetuum , vacantes Missionibus Mingrelia , Colchidis , aliarumque Provinciarum maris Pontici , seu Pontis-Euxini finitimarum.

Omnes Sacerdotes Gallos subduxit à tribunalibus inferioribus , & intermediis , voluitque eos posse pleno jure causas litigiosas deferre ad Superiorem magni Consilii Senatum , ne litibus diuturnis , & interminatis , avocarentur apostolici viri à ministerio pacis , quo ipsi lites aliorum dirimunt.

25.
*Celebratur Ulyssipone festum
Beatificationis
S. Vincentii.*

Amorem , quo Ludovicus Magnus profecutus est Sacerdotes Congregationis Missionis in Galliis , innovat in Regno suo alius Monarcha munificentissimus , cujus hic nomen proferre minimè licet. Quantum erga S. Institutorem studiosus sit , probat. 1. Summa religio , quâ , superatis gravissimis difficultatibus , maiori pompâ celebrari iussit , & suâ Regiâ præsentia decoravit , triduum ejus Beatificationis

2 Vin-

PROLOGUS. Ixxi

Magna Canonizationis festiuitas Ulyssipone.

2 Vincentii Canonizationem apparatu tam splendido celebravit Rex potentissimus, ut Afuerum magnificentiâ conviviorum, & Salomonem decore Templi æquare visus fuerit. Ædes Sacræ gemmis auro & argento undique fulgebant, & multitudine Cleri, tum Ecclesiæ Patriarchalis, tum Parochiarum quamplurimarum, tum Religiosorum omnium societatum, & ordinum, qui voce nitidâ, & canorâ ad Cœlum usque Sancti præconia exaltantes, tam suavi harmoniâ exhilarabant fideles, ut Paradisum aliquatenus sibi attigisse viderentur. Undique ipsa erant candelabra aurea, argentea, & christallina, quæ mirum in modum stellarum, & ipsius solis lucem exhibebant radiantem. Stratum erat solum tapetibus ex Ægypto; è laquearibus pretiosis pendebant aulæa margaritis, & auro micantia. Ornabantur Templi parietes summi tabellis & picturis exquisitissimis: jucundè perstringebant oculos intuentis populi, & scintillabant adamantes, chrysoliti, smaragdi, hyacinti, topazii, & saphiri, qui ut Angelorum adstantium symbola, circumdabant Sacrum Agni Divini Tabernaculum.

Jugiter verò flexis genibus, per totum octiduale, Monarcha religiosus, quasi à custodiâ matutinâ usque ad noctem, stipatus Principibus familiæ regis, orabat ardentissimè Regem regum, ut sibi, juvantibus Sancti Vincentii meritis, semper clemens, & propitius esset; didicerat enim ab alio Rege, *quoniam iudicium durissimum his*, Sapiæ. 6. 6. *qui presunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem [nisi pœnitentiam egerint] potenter tormenta patientur; maioribus autem maior instat*

Ixxii PROLOGUS.

instat cruciatio ; nec verebitur Deus magnitudinem cujusquam ; audiens verò à concionatoribus ingentia charitatis opera , quibus Vincentius , & ejus filii , animas , & corpora innumerorum fidelium juverant , & refecerant ; statuit , verus populorum suorum parens , ejusmodi operarios evangelicos habere in cunctis ditionibus suis : Europæ , Asiæ , Africæ , & Américæ . Et ne ab spiritu Vincentii unquam deflecerent , sine quo utiliter fieri nequeunt pii hujus Instituti munera , jussit Monarcha providus , re diù examinatâ , & ponderatâ , ut omnes hujus Congregationis Lusitani Sacerdotes in perpetuum obsequerentur Superiori Generali totius Instituti , à quo tanquam à redivivo Vincentio , Divinus ille Spiritus jugiter emanaret .

*Ibidem vita s.
Vincentii typis
mandatur jussu
Regis.*

3 Ut diutiùs , & latius gloria Vincentii pervulgaretur , & in mente filiorum suorum virtutes fixæ manerent , vitam ejus variis idiomatibus jam fusè scriptam jussit Lusitanè reddi , & magnâ impensâ suâ , subjecto prelo typis imprimi . Hæc fecit Rex Magnus in honorem Institutoris . Sequentia verò in favorem Instituti .

26.
*Eximia ejus liberalitas erga
Sacerdotes Congregationis Missionis.*

1 Gravissimis pecuniæ summis ex Italiâ , Galliâ , & Hispaniâ accersivit Sacerdotes Congregationis Missionis , qui Lusitanos alumnos leges Sancti Institutoris , & Instituti pios usus verbo docerent , & exemplo .

2 Nummaria vectigalia annuatim ex ærario regio sumenda , ad sustentationem quadraginta hujus Instituti sociorum , perpetuo mandavit edito .

3 Jam optimum comparavit prædium , ac bonas

PROLOGUS. lxxiii

nas ædes ædificavit ; sed quia magnificentiæ tanti Regis nulla sufficiunt , hæc omnia augeri præcepit magnis sumptibus , ad parandam habitationem commodam centenis ordinandis , & laicis undelibet concurrentibus , ut gravissimum salutis , & sanctitatis negotium impense tractare possint cum Deo in solitudine.

4 Et ne unquam oblivioni mandetur Sapientissima Institutoris Sancti Regula , illam in hoc volumine Rex studiosissimus jubet imprimi , ut eam sub oculis habentes ejus filii , eam continuo observare moneantur. Porro circa hanc Regulam aliqua videntur prænotanda.

1 S. Vincentius noluit eam obligare sub peccato , ne multiplicaret pericula damnationis , eâ ipsa viâ , qua unice intendit augere facilitatem salutis.

2 Peccaret tamen qui regulam violaret ex contemptu , vel cum scandalo , aut in iis , quæ aliunde facienda sunt ex mandatis Divinis , aut votis propriis.

3 Quatuor emittuntur vota in ista Congregatione , Paupertatis , Castitatis , Obedientiæ , & perpetuæ Stabilitatis , &c.

4 Licet ista vota sint simplicia ; & absque ulâ solemnitatem fiant , à nemine tamen sunt dispensabilia , etiam virtute Jubilæi , nisi à Summo Pontifice , vel à Superiore Generali in actu dimissionis , ad quam requiritur causa gravissima , & diu à sapientissimis viris ponderata.

5 Illud peculiare habet eorum votum paupertatis , quod servant proprietatem bonorum suorum , possintque hæredes institui , & testari ; at

k

fru:

27.
*Typis mandari
jubet eorum Re-
gulam.*

28.
*Aliqua circa re-
gulam Sacerdo-
rum Congrega-
tionis Missionis
notanda.*

Ixxiv PROLOGUS.

fructibus bonorum uti nequeunt , nisi in usus pios ; idque cum licentiâ Superiorum.

6. Sacerdotes Congregationis Missionis , sic dicti in Bullâ ejus erectionis , etiam si sint de Clero seculari , eorumque Regula , ut dictum est , non obliget sub peccato , eam tamen multum venerantur , & amant , illam intuentes oculis mentis , & fidei , veluti consiliorum Evangelicorum medullam , summæ pacis originem , signum voluntatis Divinæ certissimum , viam ordinis servandi tutissimam , fontem gratiarum copiosissimam , denique ut medium efficacissimum , & unicum assequendi perfectionem suo Apostolico statui propriam.

7 Ut autem hanc regulam securius servant ; singulis bienniis visitantur à Præfeto Provinciæ ; aut quovis alio visitatore , qui , auditis omnibus in quâlibet domo , videt , utrum ab antiquâ disciplinâ desciverit , & domos , quæ aliquod Legibus Institutoris laxamentum dedissent , ad communem normam reducit ; ita ut cunctæ domus Provinciæ , imò , & totius Congregationis , ad hanc libellam respondeant æquales. Id omne præstat Visitator missione , & autoritate Superioris Generalis , ad quem primarium ducem , electum ex millibus , Sancti Institutoris imitorem , & legitimum successorem , omnia omninò referuntur.

8 Hic , ut navis gubernator , qui præ manibus semper tenet tabulam nauticam , idest regulam , totus est in dirigendam Congregationem ad portum felicitatis æternæ. Hanc sapientem Regulam S. Vincentius per tringinta tres annos filiis suis

29.
Vigilantia Superioris Generalis in procurandâ observatione regula.

PROLOGUS. Lxxv

fuis tradere distulit impressam , ut longâ experi-
 entiâ docerentur , posse illos in posterum facere,
 quod temper eâtenus fecissent. Adeo hujus sanctæ
 Regulæ observationem curæ habuit , ut paratus
 fuerit , potiùs abdicare domum Sancti Lazari ,
 licet amplis facultatibus suis Instituto nascenti per-
 necessariam , quam ponere se discrimini , vel u-
 nam silentii regulam transgrediendi. Præmiavit Do-
 minus studium Vincentii , ad tuendam discipli-
 nam hujus almæ domûs , quam sapientiores Con-
 gregationis Missionis alumni , tanquam matrem,
 & exemplar cæterarum semper venerati sunt ; si-
 ve quia ipsius fervori spiritûs debetur origo Regu-
 læ , sive quia magna incolarum multitudine facili-
 us conservavit toti Congregationi perennem traditi-
 onem usuum piorum , quos feliciter hauserat , ex
 diuturnâ consuetudine , & præsentia S. Fundato-
 ris , qui plusquam triginta annos eam habitavit ;
 sive tandem quia hæc ordinatissima domus est nor-
 ma , cui , si congruant cæteræ Vincentii familiæ ,
 & ipsæ ordinatæ erunt , & inter se similes ; pro-
 indèque sibi invicem conjunctissimæ , necnon ab
 omni periculo Schismatum , & divisionum liberæ.

30.
*Commendabile s
 fuit usus domûs ,
 in qua diu vi-
 xit , & obiit S.
 Inſtitutor.*

I N D E X
M A T E R I A R U M Q U Æ I N P R O L O G O
c o n t i n e n t u r .

P A R S I.

Brevis notitia vitæ S. Vincentii à Paulo.

1. **O**Rtus B. Vincentii. pag. i.
2. *Ejus imata misericordia.* pag. ii.
3. *Theologiæ lauream consequitur.* ibid.
4. *Redigitur in captivitatem.* ibid.
5. *Convertit herum apostatam.* ibidem.
6. *Petit Romam, deinde Lutetiam.* pag. iii.
7. *Gravem calumniam patitur.* ibid.
8. *Fit Reginæ Capellanus, Parochus...* pag. iv.
9. *Magnatem avertit à duello.* ibid.
10. *Jacit fundamenta Cōgregationis Missionis, ex Confessione generali quam audit.* pag. vi.
11. *Et Societatis Puellarum charitatis.* p. ix.
12. *Miræ utilitates hujus Instituti.* ibid.
13. *Fides Beati Vincentii.* pag. xiii.
14. *Ejus Spes.* pag. xv.
15. *Ejus amor erga Deum.* pag. xvi.
16. *Insignis charitas erga proximum.* pag. xvii.
17. *Fovet pias Sodalitates & Congregationes.* pag. xx.
18. *Ejus amor erga inimicos.* pag. xxi.
19. *Ejus simplicitas & prudentia.* pag. xxiii.
20. *Ejus benignitas & fortitudo.* pag. xxvi.
21. *Ejus humilitas & magnanimitas.* pag. xxviii.
22. *Ejus mortificatio exterior & interior.* pag. xxxi.
23. *Ejus patientia in persecutionibus & infirmitatibus.*
pag. xxxiii
24. *Mors pretiosa B. Vincentii.* p. xxxv.
25. *Lugetur & laudatur ab omnibus.* ibid.
26. *Ejus miracula aliæque gratiæ.* pag. xxxvii.

PARS.

I N D E X.

P A R S II.

Brevis notitia Functionum Congregationis Missionis.

1. **M**issiones. pag. xli.
2. **E**xercitia Ordinandorum. p. xliii.
3. **S**eminaria minora. p. xliv.
4. **S**eminaria magna. p. xlv.
5. **C**ollationes Ecclesiasticæ. p. xlvi.
6. **S**ecessus Parochorum & Confessariorum pag. xlvii.
7. **C**oncurfus Clericorum ad domos Missionis. p. xlviii.
8. **O**bsequium Missionariorum erga DD. Episcopos. ibid.
9. **E**xercitia spiritualia hominum cujusvis ordinis. p. xlix.
10. **R**ègimen spirituale captivorum in Africâ. p. li.
11. **C**ura spiritualis Triremium. p. lii.
12. **S**eminaria Capellanorum navalium. p. liii.
13. **A**dministratio Cômunitatis Sacri Nominis Jesu. p. liv.
14. **P**arochiæ Insularum Borboniæ, & Mauriciæ. ibid.
15. **M**issiones extere. p. lv.
16. **D**irectio Sanctimonialium Sancyranarum. pag. lvi.
17. **S**ocietates Charitatis Paræciarum. p. lvii.
18. **S**ocietas Charitatis in subsidium Provinciarum. p. lviii.
19. **R**egia domus Invalidorum. p. lx.
20. **P**aræciæ Regiæ. p. lxi.
21. **S**acella Regiæ. p. lxii.
22. **S**anctuarium Beatissimæ Virginis. p. lxiv.
23. **I**nignes hujus Instituti Benefactores. p. lxv.
Ss. Pontifices. ibid.
24. **R**eges, & Principes. p. lxvii.
25. **C**elebratur cum magnâ pompâ Solemnitas Beatificationis, & Canonizationis S. Vincentii Utyssipone, & vita ejus typis mandatur. p. lxx.
26. **E**xi-

I N D E X.

26. *Eximia liberalitas Regis JOANNIS V. erga Sa-
cerdotes Missionis.* p. lxxii.
27. *Typis mandari jubet eorum Regulam.* pag. lxxiii.
28. *Circa hanc Regulam quædam notanda.* ibidem.
29. *Vigilantia Superioris Generalis in observatione Regu-
læ procurandâ.* p. lxxiv.
30. *Commendabiles usus Domûs S. Lazari , in quâ diu vi-
xit, & obiit S. Vincentius.* p. lxxv.



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO
1850



SANCTUS VINCENTIUS A PAULO,
Presbiter, Institutor, et primus Superior
Generalis Congregationis
Missionis.

G.F.L. Debric del. et sculp. 1742.



VINCENTIUS

A' PAULO,

Superior Generalis Congregationis
Missionis.

DILECTIS NOSTRIS IN CHRISTO
Fratribus, ejusdem Congregationis.

SACERDOTIBUS,
CLERICIS, ET COADJUTORIBUS LAICIS,

SALUTEM IN DOMINO.

E*N tandem, Fratres
Dilectissimi, en Regu-
la seu Constitutiones
Communes nostræ Congrega-
tionis,*

EPISTOLA.

tionis, tantopere à vobis desideratæ, ac tãdiu expectatæ. Anni quidem circiter triginta tres à primâ ipsius Congregationis Institutione effluxere, antequam illas typis mandatas vobis traderemus: sed eo consilio id egimus, tum ut Christum Salvatorem nostrum imitaremur, in eo quòd cœpit priùs facere quàm docere; tum ut quàmplurimis occurreremus incommodis, quæ sine dubio oriri potuissent ex præmaturâ earumdem Regularum seu Constitutionum editione; ac proinde earum praxis & u-

sus,

EPISTOLA.

*sus, visa fuissent postmodum
aut nimis difficilia, aut mi-
nùs congruentia. Hæc autem
nostra cunctatio, atque agendi
ratio ab illis Nos periculis,
Divinâ adjuvante Gratiâ,
servavit; quin etiam effecit,
ut Congregatio paulatim ac
suaviter ipsas in praxim re-
degerit, priusquam illæ fue-
rint editæ. Nihil enim in il-
lis animadvertetis, quod non
jam dudum, imò & cum ma-
ximâ animi nostri oblectatio-
ne, mutuâque omnium vestrû
ædificatione, in usu habueri-
tis. Illas igitur, Fratres Di-
lectissimi;*

EPISTOLA.

lectissimi, pari, quo vobis eas tradimus, affectu accipite. Illas considerate, non quidem ut ab humano spiritu productas, sed potius ut emanatas à Divino, à quo Bona cuncta procedunt; & sine quo non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Etenim, quid in illis reperietis, quod vos aut ad vitiorum fugam, aut ad virtutum acquisitionem, & ad Evangelicorum Documentorum exercitium non accendat, ac promoveat? Eâque de causâ illas omnes, quantum in nobis fuit,

EPISTOLA.

ex Jesu Christi Spiritu, actionibusque vitæ ipsius (ut perspicere facile est) haurire conati sumus : quippè qui censuimus, eos viros qui ad continuationem Missionis ipsius Christi (quæ potissimum in Pauperum Evangelizatione consistit) vocati sunt, debere ejusdem Christi sensibus & affectibus, imò eodem, quo ipse, Spiritu repleri, ipsiusque vestigiis inherere.

De cætero ergò, Fratres, rogamus vos, & obsecramus in Domino Jesu, ut in exactam ipsarum Regularum ob-


servationem

EPISTOLA.

*servationem incumbatis ; pro
certo habentes , quòd si illas
servaveritis , ipsæ vos serva-
bint ; & tandem ad finem op-
tatum , hoc est , ad Cœlestem
Beatitudinem , securos vos de-
ducent. Amen.*

J E S U S ,

MARIA , JOSEPH.






REGULÆ
 SEU CONSTITUTIONES COMMUNES
 CONGREGATIONIS
 MISSIONIS.

CAPUT I.

De Fine & Instituto Congregationis.

I.  DOMINUS noster JESUS CHRISTUS, testante Scripturâ sacrâ, missus in mundum, ut salvum faceret genus humanum, coepit Facere & Docere. Primum quidem adimplevit, cum omne genus virtutum perfectè in praxim redegit; Secundum verò, quando Evangelizavit Pauperibus, tradiditque Apostolis ac Discipulis suis Scientiam ad Populos dirigendos necessariam. Et quoniam pusilla Congregatio

A Missio.

Missiois cupit ipsum Christum Dominum, mediante ejus gratiâ, & pro virium suarum tenuitate, imitari; tum quoad ipsius virtutes, tum circa munia salutem proximi spectantia: conveniens est, ut similibus mediis, ad pium hoc propositum ritè exequendum, utatur. Idcirco ejus finis est, 1. Propriæ Perfectioni studere; nitendo scilicet pro viribus virtutes exercere, quibus Summus iste Magister nos verbo & exemplo instituere dignatus fuit. 2. Evangelizare Pauperibus, maxime Ruricolis. 3. Ecclesiasticos adjuvare ad Scientias, Virtutesque acquirendas, ipsorum statui requisitas.

2. Hæc Congregatio Ecclesiasticis & Laïcis constat. Ecclesiasticorum munus est, exemplo ipsius Christi & Discipulorum, Oppida
& Pa-

& Pagos perlustrare , in iisque Prædicando & Catechizando verbi divini Panem parvulis frangere ; Confessiones generales totius anteaetæ vitæ suadere , & excipere ; jurgia , & lites componere ; Confraternitatem Charitatis instituere ; Seminaria Externorum in nostris domibus erecta regere , & in illis docere ; Exercitia spiritualia tradere ; Conferentias Ecclesiasticorum externorum apud nos convocare , & dirigere ; aliavè munia , prædictis functionibus deservientia , ac conformia , obire. Laicorum verò partes sunt , Ecclesiasticos in supradictis omnibus Ministeriis , Marthæ officio fungendo (prout eis à Superiore præscriptum fuerit) necnon suis orationibus , lachrymis , mortificationibus , & exemplis cooperando , adjuvare.

3. Ut autem hæc Congregatio ; finem , quem sibi proposuit, divinâ aspirante gratiâ , attingat , necesse est , ut totis viribus Spiritum Christi induere nitatur ; qui maximè elucet in Evangelicâ Doctrinâ ; in ejus Paupertate , Castitate , & Obedientiâ ; in Charitate erga infirmos ; in ejus Modestiâ ; in formâ Vivendi & Agendi , quam tradidit Discipulis suis ; in Conversatione ; in quotidianis Pietatis Exercitiis ; & in Missionibus , aliisque Muniis , quæ erga Populos obivit. Quæ omnia sequentibus capitibus continentur.

C A P U T II.

De Documentis Evangelicis.

I. **A**Nte omnia , stabilire se in hac Veritate Singuli conabuntur , Doctrinam Christi nunquam posse fallere : quæ verò est mundi , semper esse fallacem ; cum ipsemet Christus affirmet hanc esse similem domui ædificatæ super arenam : suam verò comparari ædificio fundato supra firmam petram. Idcirco , Congregatio semper juxta ipsius Christi , nunquam verò Mundi Documenta , agere profitebitur. Ut autem id præstet , ea maximè , quæ sequuntur , observabit.

2. Cùm Christus dixerit , *Quærite primùm Regnum Dei & justitiam ejus : & hæc omnia (quibus indigetis) adjicientur vobis : Unusquisque Spiritu*
talia

tualia Temporalibus , Salutem Animæ Corporis Sanitati , Gloriam Dei Mundi Vanitati anteferre conabitur : Quinetiam inopiam , infamiam , cruciatus , ipsamque mortem sibi magis , cum B. Paulo , eligere statuet , quàm separari à Charitate Christi. Propterea non erit sollicitus de bonis temporalibus ; imò jactabit super Dominum curam suã ; pro certo habens quòd quandiu in hac Charitate erit radicans , & hac spe fundatus , semper in protectione Dei Cœli commorabitur ; & sic , non accedet ad eum malum , & ipse non deficiet omni bono , etiamsi sua omnia jam fore peritura arbitretur.

3. Et quoniam pium illud Exercitium , quod in divinâ Voluntate semper , & in omnibus faciendâ consistit , certum est medium , quo
Chri-

Christiana Perfectio brevi potest acquiri: Unusquisque pro viribus nitetur illud sibi familiare reddere; hæc quatuor præstando: 1. Debitè tum iussa exequendo, tum prohibita fugiendo, quoties Nobis innotescit hujusmodi iussionem, aut prohibitionem à Deo, vel ab Ecclesiâ, vel à Superioribus nostris, vel à Regulis seu Constitutionibus nostræ Congregationis, emanare. 2. Inter agenda, quæ occurrunt, indifferentia, ea potiùs eligendo, quæ naturæ nostræ repugnant, quàm quæ arrident; nisi ista, quæ placent, sint necessaria: tunc enim sunt aliis præferenda; ipsa tamen intuendo, non quâ parte sensum delectant, sed duntaxat quâ Deo sunt gratiora. Quòd si plura agenda, per se indifferentia, simul offeruntur, quæ nec sunt grata nec ingrata, tunc quodli-

bet

bet ex ipsis , tanquam à Divinâ Providentiâ oblatum , sine delectu assumere convenit. 3. Quæcunque nobis inopinatò contingunt , sive adversa sive prospera illa sint , sive corpus afficiant , sive animum , cuncta hæc , tanquam à paternâ manu Domini procedentia , æquanimiter acceptando. 4. Illa omnia præfata peragendo , hocce motivo , quia tale est Dei beneplacitum , & ut in hoc ipso Christum Dominû , quantum in nobis est , imitemur , qui eadem , & in eundem finem perpetuò adimplevit , ut ipsemet testatur : *Ego , inquit , quæ placita sunt , Patri , facio semper.*

4. Cùm Dominus Jesus à nobis exigat columbæ simplicitatem , quæ consistit tum in nudâ declaratione rerum , ut se habent in corde , & absque inutilibus reflexionibus, tum

in rebus sine fuce aut artificio agendis , Deum solum intuendo ; Ideò unusquisque enixè operam dabit , ut omnia in eodem spiritu simplicitatis perficiat ; considerans Dei sermocinationem , esse cum simplicibus ; eumque secreta cœlestia abscondere à Sapientibus & Prudentibus hujus sæculi , & revelare ea Parvulis.

5. Sed quoniam Christus , dum columbæ simplicitatem cōmendat , prudentiam serpentis simul amplectendam præcipit ; quæ quidem est virtus , quâ discretè loquimur & operamur : Idcirco prudenter ea reticebimus , quæ non expedit revelare , maximè cum ex se vitiosa & illicita sunt ; & ex iis quæ aliquo modo sunt bona aut licita , rescindemus circumstantias , quæ contra honorem Dei , aut in damnum proxi-

mi vergunt , aut cor nostrum ad inanem gloriam possunt inclinare. Cùm autem hæc virtus , in agendis , versetur circa electionem mediorum , quæ ad finem suum consequendum sunt idonea : Ideò apud nos sanctum & inviolatum erit , semper uti mediis divinis ad res divinas , & de rebus sentire ac judicare juxta sensum & judicium Christi , nunquam verò mundi ; neque etiam secundùm imbecillum intellectus nostri rationationem : & sic erimus prudentes sicut serpentes , & simplices sicut columbæ.

6. Omnes etiam magnam adhibebunt diligentiam in addiscendâ hæc lectione à Christo traditâ : *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde* ; attendentes , ut ipsemet asserit, mansuetudine possideri terram , quia hujus virtutis exercitio corda hominum

num conciliantur, ut ad Dominum convertantur; quod non præstant, qui cum proximo durius & asperius agunt: humilitate verò cœlum acquiri, quò amor propriæ abjectionis solet exaltare, deducens nos, quasi per gradus de virtute in virtutem, donec illuc perveniatur.

7. Sed hæc humilitas, quam Christus ipse tam sæpè nobis & verbo & exemplo commendavit; & ad quam acquirendam Congregatio debet omnem operam infumere, tres has condiciones exigit: quarum prima est, se hominum vituperio dignum cum omni sinceritate reputare. 2. Gaudere quòd alij imperfectum nostrum videant, & nos inde contemnant. 3. Si Dominus per nos, aut in nobis aliquid operetur, illud, si fieri possit, occultare ad aspectum propriæ vilitatis; sin autem id fieri

non possit, totum Divinæ misericordiæ, & aliorum meritis attribueret. Et hoc est universæ Evangelicæ perfectionis fundamentum, nodusque totius spiritualis vitæ: ei, qui humilitatem istam possidebit, omnia bona venient pariter cum illâ; qui verò eâ carebit, etiam quod habet boni, auferetur ab eo, continuisque agitabitur angustiis.

8. Cùm Christus dixerit, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum; & tollat crucem suam quotidie; Et B. Paulus in eodem spiritu adjunxerit, Si secundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis: Unusquisque in assiduam scilicet propriæ voluntatis, propriique judicij abnegationem, sensuum quoque omnium mortificationem incumbere studebit.*

9. Immoderato pariter in Propinquos amori omnes renuntiabunt , juxta consilium Christi è numero Discipulorum suorum eos excludentis , qui non oderint patrem & matrem , fratres & sorores; centuplumque nunc in hoc mundo , & in altero vitam æternam promittentis , si eos propter Evangelium reliquerint. Quibus ostenditur quantum Christianæ perfectioni impedimentum sint caro & sanguis. Parentes tamen spirituali amore , & secundùm Christum amandi sunt.

10. Omnes ei Indifferentiæ , quam Christus ac Sancti tantoperè coluerunt , singulari diligentia studebunt; ita ut neque ministeriis , neque personis , neque locis præsertim Patriæ , neque ulli hujusmodi rerum , ullo unquam affectu inordinato adhærescant ; imò sint parati ac prompti hæc
omnia;

omnia, ad superioris voluntatem nutumque, libenter deferere, omnemque circa illa repulsam, ac mutationem ab ipso procedentem, æquo animo patiantur; illumque bene omnia fecisse in Domino fateantur.

II. In honorem communis vitæ, quam Christus Dominus ducere voluit, ut aliis conformis fieret, & hoc pacto facilius Deo Patri eos lucrifaceret: Omnes, quoad fieri poterit, in omnibus uniformitatem servabunt: illam spectantes tanquam boni ordinis, ac sanctæ unionis tutricem; fugientque pariter Singularitatem, ut invidiæ ac divisionis radicem; idque non solum quoad vitum, vestitum, lectum, & cætera hujusmodi; sed etiam quoad rationem Dirigendi, Docendi, Prædicandi, Gubernandi; necnon &

quoad

quoad praxes spirituales. Ut autem hæc Uniformitas possit apud nos perpetuò conservari ; unicum nobis adhibendum est medium ; nempe exactissima Regularum seu Constitutionum nostrarum observatio.

12. Actus charitatis erga Proximum apud nos incessanter vigeant, quales sunt , 1. Aliis facere quod nobis justè fieri ab iis vellemus. 2. Aliis assentiri, ac omnia in Domino approbare. 3. Se invicem supportare, sine murmuratione. 4. Flere cum flentibus. 5. Gaudere cum gaudentibus. 6. Se invicem honore prævenire. 7. Sese aliis benevolum & officiosum ex imo corde præstare : Denique omnibus omnia nos facere, ut omnes Christo lucrifaciamus. Quæ omnia intelligenda sunt, dummodo nihil contra Divina, vel Ecclesiastica præcepta, aut nostræ Cōgregationis

gregationis Regulas seu Constitutiones, ullo modo agatur.

13. Si quando Divina Providentia permittat Congregationem, aut aliquam ipsius Domum, aut quempiam ex suis subditis calumniâ vel persecutione gratis impugnari ac exerceri, diligentissimè cavebimus ab omni vindicatione, aut maledictione, aut etiam querela ulla, in ipsos Persecutores ac Calumniatores; imò de hoc ipso Deum laudabimus & benedicemus; & tanquam de occasione magni Boni, descendens à Patre luminum, ei cum exultatione gratias agemus; Quinetiam pro illis omnibus ipsum ex animo precabimur, necnon illis, cum sese opportunitas ac facultas offerent, lubenter beneficiemus; attendentes quòd Christus id nobis, sicut & cæteris fidelibus præcipit, dicens;

Dili-

Diligite inimicos vestros, Benefacite his qui oderunt vos: & Orate pro persecutibus & calumniantibus vos. Et ut omnia hæc facilius & lubentius observemus, asserit, quod in hoc Beati erimus, & ob idipsum gaudere ac exultare debemus, quoniam merces nostra copiosa est in Coelis: Et, quod caput est, ipse prior hoc dignatus est erga homines adimplere; ut nobis exemplum daret; quod postea imitati sunt Apostoli, Discipuli, ac innumeri Christiani.

14. Quamvis præfata omnia Evangelij documenta, tanquam sanctissima ac utilissima, quantum in nobis est, observare debeamus: quia tamen quædam ex illis, nobis magis conveniunt, illa scilicet, quæ peculiari ratione Simplicitem, Humilitatem, Mansuetudinem, Mortificationem & Zelum animarum

commendant ; Congregatio his colendis atque exercendis accuratiùs incumbet , ita ut hæ quinque virtutes , sint veluti facultates animæ totius Congregationis , omnesque nostræ singulorum actiones illis semper animentur.

15. Et quoniam Sathanas ab istorum documentorum exercitio , suis prorsus contraria opponendo , nos semper avocare nititur : Ideò maximam quisque adhibebit prudentiam ac vigilantiam ad illa omnia fortiter & animosè oppugnanda ac devincenda , ea maximè quæ magis Instituto nostro repugnant : qualia sunt ; 1. Prudentia carnis. 2. Velle videri ab hominibus. 3. Appetere ut quisque nostro iudicio ac voluntati semper subjiciatur. 4. Quærere in omnibus suæ naturæ satisfactionem. 5. Insensibilitas erga honorem Dei

& sa.

& salutem Proximi.

16. Cùmque malignus Spiritus se frequenter in Angelum lucis transfiguret, suisque interdum illusionibus nos decipiat; Omnes sibi diligenter ab iis cavebunt, modumque eas discernendi ac superandi addiscere studebunt. Cùmque experimento compertum sit præsentissimum ac tutissimum esse remedium in hoc casu, quàm citissimè rem aperire iis, qui à Deo sunt ad hoc deputati: Idcirco cùm quis se cogitationibus aliquâ illusionem suspectis, sive gravi angustia aut tentatione vexari senserit, quamprimùm poterit, id Superiori aut Directori ad id designato patefaciet; ut congruum adhibeatur remedium: quod quisque, tanquam de manu Domini, recipiet, approbabit, ac sibi cum fiducia ac reverentiâ applicabit. Ante

omnia cavebit , ne ulli alij five No-
strorum five Externorum , rem ul-
lo modo manifestet ; cùm experien-
tia constet , hujusmodi manifesta-
tione malum fieri deterius , alios e-
jusdem mali contagione infici , imò
& totam Congregationem tandem
magnum inde detrimentum capere.

17. Et quoniam unicuique man-
davit Deus de proximo suo , & nos
invicem , utpotè ejusdem corporis
mystici membra juvare debemus ;
ubi quis noverit aliquem gravi tenta-
tione agitari , vel in culpam notabi-
lem incidisse , statim in spiritu Cha-
ritatis , & meliori modo , quo pote-
rit , curabit , ut his duobus malis
debitè & tempestivè convenientia
remedia per Superiorem adhibean-
tur. Quisque etiam ad majorem pro-
gressum in virtute faciendum , boni
consulet , & gratum habebit , ut sui
defe-

defectus Superiori in eodem spiritu Charitatis manifestentur per quemvis, qui extra Confessionem eos observaverit.

18. Cùm Dominus noster venerit in mundum, ut in animas Imperium Patris sui repararet; illas scilicet eripiendo à Dæmone, qui eas inordinatâ divitiarum, honoris, & voluptatis cupiditate callidè decipiendo, rapuerat; congruum censuit benignus hic Salvator cum suo Adversario contrariis Armis, scilicet Paupertate, Castitate, & Obedientiâ certare, sicuti fecit usque ad mortem. Cùmque minima Congregatio Missionis in Ecclesiâ Dei in eum finem surrexerit, ut Animarum Salutem, maximè Pauperum Ruricoliarum, inserviret, nullis utique fortioribus & aptioribus armis uti posse judicavit, quàm iisdem, quibus
ista

ista Sapiencia Æterna tam feliciter, tamque utiliter usa est. Quapropter Omnes & Singuli, hujusmodi Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, fideliter & perpetuò, juxta Institutum nostrum, servabunt. Et ut securiùs ac faciliùs, & etiam cum ampliori Merito, in ijs Virtutibus observandis, possint usque ad mortem perseverare; Unusquisque, ea, quæ in sequentibus capitibus circa id statuuntur, maximâ, quâ poterit fidelitate, exequi in Domino conabitur.

C A P U T III.

De Paupertate.

I. **C**Um ipse Christus, verus universorum bonorum Dominus, ita Paupertatē amplexus fuerit, ut non haberet ubi reclinaret caput suum, eosque, qui secum in Missionibus laboraverunt, Apostolos scilicet & Discipulos, in simili inopiæ gradu constituerit, ita ut nihil proprium haberent; & sic expediti cupiditatem divitiarum, quæ totum ferè Mundum perdit, meliùs ac commodiùs expugnarent; Unusquisque in hac virtute colendâ, ipsum pro suâ tenuitate imitari conabitur; certò sciens hanc fore inexpugnabile propugnaculum, quo Congregatio, Divinâ aspirante gratiâ, perpetuò conservabitur.

2. Et quamvis Ministeria nostra

in Missionibus, quatenus sunt gratis obeunda, nequaquam ferre possint, ut Paupertatem omnimodè profiteamur; affectu tamen, & quantum in nobis erit, effectu, ipsam observare in Domino contendemus; idque præsertim juxta ea, quæ hîc præscribuntur.

3. Omnes & Singuli nostræ Congregationis, intelligent, quòd exemplo primorum Christianorum, erunt nobis omnia communia, & illa singulis distribuentur à Superioribus, nimirùm victus, vestitus, libri, & suppellectilia & cætera, prout cuicque opus erit: ne tamen quicquam fiat contra Paupertatem, quam amplexi sumus, nemo de hujusmodi bonis Congregationis disponere, aut dispensare quicquam poterit, nisi de licentiâ Superioris.

4. Prætereà, nullus quicquam ha-

bebit

bebit incio, vel non concedente Superiore; aut quod non sit paratus statim relinquere ad præceptum, vel etiam ad nutum illius.

5. Nemo ullâ re tanquam propriâ utetur. Nemo quicquam donabit aut accipiet, vel dabit mutuò aut commodatò, aut aliunde petet, sine licentiâ Superioris.

6. Eorum, quæ sunt usibus aliorum deputata, vel in communi seposita, aut relicta, nemo quicquam sibi sumet, ne libros quidem; aut quod ad usum suum sibi datum est, alteri tradet, sine Superioris consensu; aut id patietur negligentia suâ perire, aut fieri deterius.

7. Nullus superflua, aut curiosa exquiret. Necessaria autem, ipsorumque desiderium ita quisque moderabitur, ut victus, cubiculi, & lecti ratio, sit tanquam Pauperi ac-

D

commodata:

commodata : atque in his , sicut in omnibus , effectus aliquos Paupertatis experiri sit paratus ; quinetiam vilissima quæque eorum , quæ domi sunt , sibi tribui , libenter patiatur.

8. Et ut nihil apud Nos cernatur , quod Proprietatem vel minimam redoleat , cubicula nostra non ita erunt clausa , quin extrinsecùs aperiri possint ; nec in iis ulla arca , sive quicquam aliud clave particulari obferatum asservabitur , nisi cum expressâ Superioris facultate.

9. Nemo etiam ex unâ Domo in aliam pergens , quicquam secum asportabit sine licentiâ Superioris.

10. Et quoniam Virtus Paupertatis , solo etiam appetitu inordinato ad Bona temporalia , potest violari : Unusquisque diligenter cavebit , ne hoc malum , etiam quoad Beneficia , sub specie Boni spiritualis ,
ambien-

ambienda, cor suum invadat; Ideoque, nequidem ad ullum Beneficium, aut Dignitatem Ecclesiasticam, sub quocunque prætextu, aspirabit.

C A P U T IV.

De Castitate.

I. **S** Alvalor noster quanti Castitatem coleret, quamque ardentius illam in corda hominum insinuare cuperet, evidenter significavit, ex eo quod per operationem Spiritus Sancti, supra naturæ leges, de Virgine intactâ nasci voluerit: & à vitio opposito ita abhorruerit, ut quamvis atrocissima crimina falsò sibi imputari permiserit, ut juxta desiderium suum opprobrijs saturaretur: nusquam tamen impu-

D ii

dicitæ,

dicitæ , ne dicam accusatione , sed nequidem suspicione ullâ , à suis etiam infensissimis hostibus notatum fuisse legamus : Ideo multum interest , ut Congregatio singulari hujus virtutis acquirendæ desiderio exardescat , eamque perfectissimè colere semper & ubique profiteatur ; quod tantò magis nobis cordi esse debet , quantò strictiùs ad ferè continuam cum Sæcularibus utriusque sexus cõversationem , nos Missionis exercitia addicunt. Quapropter unusquisque , in hac Castitate tum corporis tum animi integrè conservandâ , omnem curam , diligentiam , & præcautionem adhibere , quantum in se erit , conabitur.

2. Ut autem , Deo auxiliante , id assequi valeat , sensus tum interiores , tum exteriores vigilantissimè custodiet ; Mulieres nunquam solus cum

folâ (loco & tempore indebitis) alloquetur : illas alloquendo , vel ad eas scribendo , à verbis , etiam si piis , teneram erga eas benevolentiam redolentibus , omninò abſtinebit ; Illarum Confessiones audiendo , ſicuti extra Confessionem colloquendo , ad eas propiùs non accedet : nec de ſua Caſtitate præſumet.

3. Et quoniam intemperantia eſt veluti mater & nutrix impuritatis , unusquiſque in eſu erit temperans , & quoad fieri poterit , cibus communibus , & vino , aquâ plurimâ diluto , utetur.

4. Inſuper , Omnes ſibi perſuadebunt , Miſſionariis nequaquam ſufficere , huiusce virtutis gradum attingiſſe non mediocrem , imò prætereà requiri , ut totis viribus nitantur impedire , ſi fieri poſſit , ne ullus hominum de aliquo Noſtrorum , vel

levif.

levissimam vitij contrarij suspicionē possit concipere : hæc enim sola suspicio , etiamsi omninò injusta , plus obeslet Congregationi , ipsiusque piis Ministeriis , quàm alia crimina falsò nobis imputata , eò maximè quòd exiguus aut nullus ob id colligeretur fructus ex Missionibus nostris. Quare ad Malum hoc præveniendum , aut tollendum , omnibus , quæ occurrere poterunt , mediis , non modò ordinariis , verùmetiam (si res postulat) extraordinariis utemur ; cujusmodi est istud , ab aliquibus operibus alioqui licitis , & etiam bonis ac sanctis , interdum abstinere ; cum scilicet judicio Superioris aut Directoris , illa videntur dare locum timendi hujusmodi suspensionem.

5. Et quia Otiositas est Noverca virtutum , maximè Castitatis: Unusquisque

quisque Vitium hoc ita fugiet, ut
semper inveniatur utiliter occupa-
tus.

C A P U T V.

De Obedentiâ.

I. **I**N honorem Obedentiæ, quã
Dominus noster Jesus Christus
verbo & exemplo nos docuit,
cùm Beatissimæ Virgini, Beato Jo-
sepho, necnon & aliis Personis in
Dignitate constitutis, tum bonis,
tum dyscolis, subditus esse voluit;
Omnibus & Singulis Præpositis no-
stris, ipsos in Domino, & Domi-
num in ipsis attendentes, exactè o-
bediemus; in primis Sanctissimo
Domino nostro Papæ Reverentiam
& Obedentiam fideliter & sincerè
præstabimus: Obedentiam quoque

Illustris.

Illustrissimis ac Reverendissimis DD. nostris Episcopis, in quorum Diocesis Instituta fuerit Congregatio, humiliter & constanter, juxta Institutum nostrum, exhibebimus. Prætereà nihil in Ecclesiis Parochialibus aggrediemur absque Parochorum consensu.

2. Omnes etiam & Singuli Superiori Generali obediemus promptè, hilariter, & perseveranter, in omnibus ubi peccatum non apparet, & cæcâ quâdam Obedentiâ, proprium judicium, propriamque voluntatem submittentes, idque non solû quoad ejus voluntatem nobis notificatam, sed etiam quoad ejus intentionem; existimantes illud semper ad melius esse, quod ipse præcipit; nosque illius dispositioni, quasi limam in manibus fabri committentes.

3. Et hæc Obedientiâ cæteris Superioribus

perioribus tam particularibus, quàm Visitatoribus, necnon Officialibus subordinatis pariter exhibenda erit. Quisque etiam campanæ sono, ut voci Christi obedire conabitur; ita ut, ad primum ejus signum, studeat vel ipsam imperfectam litteram relinquere.

4. Et ut Congregatio faciliùs & citiùs in hac virtute progressum faciat, pro viribus nitetur, ut pia illa consuetudo nihil petendi, nihilque recusandi, apud nos semper vigeat: attamen, cum quis noverit, aliquid sibi esse vel nocivum vel necessarium, id coram Domino examinabit, utrum idipsum Superiori aperire debeat, vel non, & se indifferentem habebit quoad responsum futurum; & hoc pacto dispositus, rem Superiori declarabit; tenebitque pro certo voluntatem Dei sibi

E significari

significari per voluntatem Superioris ; quâ cognitâ statim acquiescet.

5. Omnes statutis cujullibet hebdomadæ diebus , & horis , in locum assignatum convenient, ut, quæ circa ordinem domesticum monenda sunt , à Superiore audiant : & si quid habent proponendum , ei significant.

6. Nemo quicquam aliis præcipiet, aut ullum reprehendet , nisi ad id à Superiore deputatus sit , aut ex Officio jam teneatur.

7. Nullus ab uno Superiore repulsam passus , alium Superiorem adibit super eâ re , quin repulsam , & repulsæ causam illi significet.

8. Nemo curam alicujus rei sibi commissam deseret , licet aliquo superveniente negotio impeditus , quin maturè admoneat aliquem ex

Supere-

Superioribus, ut si opus est, alium substituatur.

9. Sicut nullus in alterius Officiû aut Ministerium se ingerere debet, ita cum quis rogatus fuerit ab aliquo, maximè ex Officialibus etiam minoribus, ut ipsum obiter adjuvet, id benignè præstabit, nisi quid obstet: si tamen in hac re diutiùs occupari oporteret, id non fiet nisi priùs obtentâ Superioris licentiâ.

10. Nemo in locum alieno Ministerio destinatum introibit absque licentiâ Superioris; In rebus autem necessariis, sufficiet licentia Præfæcti illius loci.

11. Ut occurratur multis non parvi momenti incommodis, quæ possent evenire, nullus litteras scribet, mittet, aut aperiet absque facultate Superioris; cui scriptas quisque dabit, ut eas vel mittat, vel retineat,

prout sibi visum fuerit.

12. Et ut Obedientia aliquid etiã conferat corporis sanitati, nullus extra consueta tempora potum, aut cibum sumet, sine Superioris licentiã.

13. Nullus absque Superioris facultate generali aut speciali, in cubiculum alterius intrabit, neque illud aperiet, quin ei responsum fuerit, ingredi: quandiũ autem unã erunt, tandiũ janua patebit.

14. Nemo etiam alios, maximè Externos, in cubiculum suum introducet, nisi acceptã ab eodem Superiore licentiã.

15. Nemo librum aut componet, aut ex unã linguã in alteram vertet, & in lucem edet, sine expressã tum approbatione tum facultate Superioris Generalis.

16. Nullus ex Coadjutoribus nostris, Officio Marthæ destinatis, ad
studium

studium linguæ Latinæ , nedum ad statum Ecclesiasticū aspirabit. Quod si quis in se tale desiderium senserit, illud protinus nitetur extinguere , tanquam à maligno spiritu procedēs qui fortè speciosâ superbiâ , zelo animarum velatâ , ipsos perdere intendit. Legere autem vel scribere non addiscent sine expressâ Superioris Generalis licentiâ.

C A P U T VI.

De iis quæ ad Infirmos spectant.

I. **C**Um inter cætera , quæ Christus operabatur, frequentiùsque commendabat iis , quos in vineam suam mittebat , hoc unū ex præcipuis fuerit , Infirmorum , maximè pauperum cura ac visitatio: Ideo Congregationi peculiaris erit
cura,

cura , illos non solùm domesticos, verumetiam externos, cum Superioris consensu, invisendi, ac sublevandi ; illis tùm corporalia , tùm spiritualia subsidia, quæ commodè poterunt, subministrando, præsertim in Missionibus ; & prætereà singularem curam adhibendo in Confraternitate Charitatis erigendâ ac visitandâ.

2. Ubicumque Infirmū aliquem, sive Domi, sive extra Domum, visitabunt, illum non ut hominem, sed ut Christum ipsum, tale sibi obsequium præstari asserentem, spectabunt : ideoque quilibet se ibi modestè geret, ac submissâ voce loquetur, & de rebus, quæ ipsum exhilarare & consolari, necnon circumstantes ædificare possint.

3. Infirmi quoque nostri sibi persuadebunt, se non solùm in valetudinario

dinario & lecto detineri, ut remediis curentur ac sanentur, sed etiam ut virtutes Christianas, maximè patientiam, & conformitatem cum Divinâ voluntate, velut ex suggestu, suo saltem exemplo doceant; & sic, omnibus se invicentibus, sibi que ministrantibus, Christi bonus odor sint; adeò ut virtus ipsorum in infirmitate perficiatur. Cùm autem inter cæteras virtutes, que in ægrotis requiruntur, obedientia sit etiam multum necessaria: ideò Medicis, non tantum spiritualibus, sed etiam corporalibus, tum Infirmario, aliisque ad sui curam destinatis, exactissimè illam exhibebunt.

4. Et ne quis circa Infirmos abusus subrepat, omnes qui se malè affectos sentient, id Superiori, vel Præfecto sanitatis, aut Infirmario significabunt: Nemo verò medici-

nam ullam fumet , aut Medico nostro utetur , aut alium consulat , nisi cum Superioris approbatione. ;

C A P U T VII.

De Modestia.

I. **T**anta in Christo Domino modestia tùm in facie & gestu , tùm in sermone elucebat , ut usque ad interiora deserti ad se attraheret multa populorum millia , quò ipsius aspectu fruerebatur , verbaque vitæ æternæ , quæ procedebant ab ore ejus , audirent ; ita ut , cibi potusque necessarij sumendi obliviscerentur : hanc amabilem virtutem , in tanto Magistro imitari debent Missionarij , qui , cùm ex Instituto suo teneantur cum Proximo frequenter agere , timere debent sè-

per

per, ne quod functionibus & ministeriis suis in Dómino ædificaverint, id malo exemplo, vel minimæ immodestiæ destruant. Quapropter id Omnes, quod D. Paulus primis Christianis commendabat, *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, diligenter observabunt. Ut autem id præstare valeant, Regulas particulares modestiæ, in Cōgregatione præscriptas, & has sequentes, in usu habere sedulò curabunt.

2. Imprimis ab inordinatâ oculorum evagatione abstinebunt, præsertim in Templo, in mensâ, & in publicis actionibus; efficientque ut nihil leve aut puerile in gestu, nihilque affectatum aut mundanum in incessu appareat.

3. Cavebunt Omnes ne se invicem, etiam per jocum, tangant, nisi quando in signum Charitatis, &

causâ salutationis , se mutuò amplecti convenit; cùm scilicet quis peregrè egreditur aut regreditur , vel est recens admissus in Congregatione.

4. Quisque honestæ munditiei servandæ , præsertim in vestibus , studiosus erit : ab illâ verò , quæ est nimis exquisita , aut affectata , omninò abstinebit.

5. Quisque pauperem suam , & hanc paucissimam supellectilem , mundam ac benè dispositam servabit in cubiculo ; quod etiam tertio quoque die scopis everret ; ac lectum manè surgendo decenter componet ; nisi propter ejus infirmitatem , aut negotium aliquod , alius ad id suffectus sit à Superiore.

6. Nemo è cubiculo nisi decenter vestitus egredietur.

7. Et ut faciliùs & citiùs coram alijs Modestiam nostram exhibere

valea-

valeamus , unusquisque privatim , etiam solus in cubiculo , modeste se habere , Deum presentem intuendo , sollicitè studebit ; & præsertim cavebit , ne absque indusio , aut non sufficienter coopertus , noctu dormiat.

C A P U T VIII.

De mutuâ Nostrorum Conversatione.

I. **C**Um Christus Salvator noster Apostolos ac Discipulos in unum congregasset , nonnulla rectè inter se convivendi Præcepta ipsis tradidit , cujusmodi sunt , ut se invicem diligerent ; alter alterius pedes lavarent ; si quid haberet alter adversus alterum , iret statim reconciliari fratri suo ; bini incederent : denique si quis vellet inter eos

esse major, minor fieret; & alia his similia. Idcirco nostra minima Congregatio, Christi & Discipulorum vestigiis insistere cupiens, sequentes Regulas, quæ rationem benè inter nos convivendi, & colloquendi spectant, similiter debuit habere: quas unusquisque pro viribus observare studebit.

2. Ut Charitas fraternitatis, ac sancta unio semper maneat in nobis, & omnimodè conservetur, singuli se invicem magnâ reverentiâ prosequantur, in morem tamen charorum amicorum, inter se semper conviventes. Particulares autem amicitias, perinde ac aversiones diligenter vitabunt; cum hæc duo vitia, esse originem divisionum, ac ruinam Congregationum, experimento comperitum sit.

3. Omnes singularem, ut decet, hono-

honorem Superioribus exhibebunt, iisque caput aperient; & cavebunt ne eosdem Superiores se alloquentes interpellent, aut, quod pejus est, illis resistent verbo. Omnes pariter caput aperient Sacerdotibus: Seminaristæ, & Scholastici, suis Directoribus & Præceptoribus. Sacerdotes etiam sese invicem hoc honore prævenire in Domino studebunt. Ne tamen detur locus evagationi oculorum aut mentis, nemo, dum mensæ accumbit, cuiquam, præterquam Superiori, vel alicui Externo insigniori, aperiet caput.

4. Et quoniam Scriptura testatur, tempus esse loquendi & tempus tacendi, & in multiloquio non futurum peccatum, & etiam diuturno experimento satis constat, vix fieri posse, ut Communitas ulla Deo dicata, in bono diu perseveret,

ret, si in eâ nullus locutioni modus præscribatur, nullaque silentij ratio habeatur. Ideò apud nos silentium extra recreationis tempus servabitur; ita ut extra illud nemo sine necessitate loquatur, nisi obiter & verbis perpaucis, ac voce submissâ, maxime in Ecclesiâ, in Sacristiâ, in Dormitorio, & in Refectorio, præsertim dum mensæ discumbitur: si tamen alicui accumbentium quicquã deest, is qui assidet, uno verbo, si nutu, aliove signo id non possit, eum, qui ministrat, admonebit. Quocumque autem tempore loquamur, etiam horis Conversationi destinatis, semper à nimiâ vocis contentione, vel elatione cavebimus; Cùm inde & Nostri & Externi possint malam accipere ædificationem.

5. Nemo ex Nostriis cum Seminaristis, aut cum Scholasticis, aliis-

que.

que , etiam Sacerdotibus , qui bien-
nium ab egreſſu è Seminario non-
dum expleverunt , colloquium ſine
Superioris facultate , habebit , niſi
ad illos obiter & uno verbo ſalutan-
dos , cùm id charitas à nobis exigit.

6. Ad majorem ſilentij obſervatio-
nem , attendet Unuſquiſque , ut ,
dum in cubiculo verſatur , vel per
Domum , præfertim noctu , ince-
dit , vel etiam januas aperit , aut clau-
dit , quoad fieri poterit , ſtrepitus
non edatur.

7. In quotidianis Converſationi-
bus , ac recreationibus , ita Mode-
ſtiam cum hilaritate jungemus ,
ut ſemper quoad fieri poterit , utile
dulci miſceamus , & omnibus exem-
plo noſtro præluceamus. Quod ut
faciliùs aſſequamur , colloquia no-
ſtra erunt , ut plurimùm de iis quæ
ad pietatem , vel doctrinam Miſſio-
nariis

nariis requisitam , conducunt.

8. In mutuis hujusmodi colloquiis , sicut & in aliis , quæ aliquando licitè habenda occurrunt , operam dabimus ; ut inter cætera colloquendi argumenta , ea maximè , quæ ad amorem vocationis nostræ , studiumvè propriæ perfectionis , juvant , in medium proponamus , ad id nos invicem stimulantes , nunc quidem commendando virtutem , putà devotionem , mortificationem , Obedientiam , humilitatem ; nunc verò earum partes adversus eos , qui sinistrè de iis loquerentur , humiliter & suaviter defendendo. Quòd si qua ex illis virtutibus , sensui nostro repugnet , id Superiori vel Directori duntaxat , aperiemus ; & diligenter cavebimus ne aliis sive palam , sive privatim id detegamus.

9. Omnem in colloquendo perti-

naciæ

naciæ aut contentionis speciem, etiam per modum recreationis, magnâ diligentia fugiemus; quin etiam aliorum sententiam nostræ in omnibus non illicitis, quoad fieri poterit, antepone in Domino studebimus. Si quis tamen circa rem propositam diversæ fuerit sententiæ, rationes suas modestè & in spiritu humilitatis poterit proferre: Imprimis autem cavebunt omnes ne inter colloquendum quicquam molestè aut ægrè ferre, aut se offensus in aliquem ostendant, aut verbis vel factis, aut alio quovis modo lædant.

10. Omnes summæ Religioni ducent, servare secretum, non modò circa ea quæ ad Confessionem, aut Directionem pertinent, verum etiam quæ fiunt vel dicuntur in Capitulo, quoad culpas & pœnitentias, sicut & cætera, quorum revelationem

novimus esse à Superioribus , vel à parte rei prohibitam.

11. Nemo aliorum , maximè Superiorum , famam vel leviter attinget , aut contra illos commurmurabit, aut quicquam , quod in nostrâ Congregatione , sicut & in aliis Cōmunitatibus , fiat aut dicatur, censurâ notabit.

12. Nemo de administratione Domûs curiosè inquiret ; aut de eâ cum aliis sermonem habebit ; aut contra Congregationis Regulas seu Constitutiones , vel pias etiam Consuetudines , sive directè sive indirectè loquetur.

13. Nemo de victu , vestitu , & cubitu conqueretur ; aut etiam colloquetur , nisi ratione sui Officij ad id sit deputatus.

14. Nemo in malam partem de aliis Nationibus , vel Provinciis loquetur;

tur ; cùm mala non parva inde soleant evenire.

15. In publicis Discordiis & Bellis, quæ inter Principes Christianos oriri possunt, nullus se in alterutram Factionis partem inclinari significabit ; ad imitationem Christi, qui inter litigantes fratres esse Arbiter, & de Jure Principum judicare noluit ; id unum prædicans, reddenda esse quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c.

16. Unusquisque à colloquiis de rebus, quæ ad rationem Statûs seu Regnorum, aliaque negotia Secularia publica, pertinent, maximè de Bello, & Principum contentionibus præsentis temporis, cæterisque ejusmodi rumoribus Seculi, longè aberit : & etiam de istis omnibus, quoad fieri poterit, cavebit quicquam scribere.

C A P U T IX.

De Conversatione cum Externis.

1. **P**Ræter Regulas, quas Salvator noster dedit Apostolis ac Discipulis suis de ratione inter se conversandi, adjunxit quædam præcepta de modo rectè se gerendi cum Proximo, cum Scribis & Pharisæis, cum Præsilibus, quando ad eorum Synagogas, & Tribunalia ducerentur; & quomodo, cum ad convivia vocarentur: & alia ejusmodi. Quapropter ad ejus exemplum, quasdam Regulas de ratione communicandi cum Externis, similiter habere conveniens fuit. Has igitur fideliter observare conabimur.

2. Etsi Institutum nostrum ad frequentem cum Secularibus conversationem, maximè in Missionibus, nos astringit: eos tamen non adibi-

mus,

mus , nisi cùm obedientia , aut necessitas vocaverit ; & tunc memores erimus hujus verbi Domini , *Vos estis Lux Mundi* ; ut scilicet Solis lucem imitemur ; quæ & illuminat & calefacit : & quâvis per immunda transeat , nullam tamen puritatis suæ jacturam patitur.

3. Omnes à litibus Externorum sollicitandis , à legatis testamentariis exequendis , à commerciis & matrimoniis tractandis , ac similibus seculi occupationibus diligenter cavebunt ; juxta consilium Apostoli : *Nemo militans Deo , implicat se negotiis secularibus.*

4. Nullus etiam piorum negotiorum curam suscipiet , aut ad ea gerenda operam suam promittet , aut ad id se propensum ostendet , sine Superioris facultate.

5. Domi nemo loquetur cum Ex-
ternis,

ternis , aut alios è Nostris ad id vocabit sine facultate Superioris.

6. Nemo ullum Externum ad mensam invitabit sine Superioris licentiâ.

7. Nullus cujusquam Externi ad aliquem Nostrorum , aut alicujus ex Nostris ad Externum , mandata aut litteras , aut quid aliud deferet, sine Superioris licentiâ.

8. Nemo Regulas seu Constitutiones nostras , Externis communicabit , sine expressâ Generalis , aut Visitatoris facultate : admittendis autem istæ Communes poterunt ostendi , cum licentiâ Superioris Particularis ; idque tempore Exercitiorum spiritualium , & aliquando priùs si ei ita expedire in Domino visum fuerit.

9. Nemo , quæ Domi acta vel agenda sunt , temerè & sine fructu Externis referet , aut cum illis de
rebus

rebus illis, colloquetur, quas non licet inter Nostros adducere in colloquium, maximè de iis, quæ ad rationem Statûs seu Regni pertinent.

10. Cùm quis facultatem habet adeundi Externos, cum illis non nisi de rebus necessariis, aut ad salutem & ædificationem ipsorum, aut propriam, aut utrumque conducen- tibus, colloquetur; idque eâ, quâ par est, Gravitate, Devotione, ac Modestiâ; juxta personarum, locorum, ac temporum circumstantias.

11. Nemo Domo egredietur, nisi quomodo, quando, & cum quo visum fuerit Superiori; cujus erit socium designare, nisi ad id alium deputaverit: Is verò qui in socium datus est, primas alteri cedit, eum- que loqui sinet.

12. Cùm quis facultatem à Superiore petierit aliquò eundi, simul
etiam

etiam & aperiet quò , & cuius causâ ire velit ; & statim atque Domum redierit , eorum quæ gesserit , ei rationem reddet.

13. Nullus , præterquam consuetâ Domus januâ ingrediatur aut egrediatur , nisi necessitas , aut Superioris licentia in hoc dispenset.

14. Qui Domo egredientur , etiam qui facultatem haberent exeundi & redeundi per posticum , aut per Templum , nomini suo notam apponent , & Janitorem admonebunt de horâ , quâ redituri sunt , ut ipse iis à quibus peterentur , possit satisfacere : ante lucem non egredientur , & ante noctem Domum se recipient : Ingressi autem statim notam suo nomini appositam auferent.

15. Nullus extra Domum cibum sumet absque Superioris licentiâ , præterquam dum peregrè proficiscitur.

16. Nullus iter faciens , & transiens per locum, ubi sit Domus Congregationis , ad aliud hospitium , quàm ad illam divertet : & quandiu ibi fuerit , ejus , qui illic præest , Obedientiæ subjicietur ; nihilque ibi , nisi de ejus Consilio & Directione tractabit. Idem observabitur ab illo , qui ad negotia gerenda illuc venerit.

C A P U T X.

De piis Exercitiis in Congregatione observandis.

I. **C**Hristus Dominus , ejusque Discipuli , sua habebant pia Exercitia , cujusmodi erant, statis diebus ad Templum ascendere, aliquoties in solitudinem secedere , Orationi vacare , & alia similia: Ra-
H tioni

tioni itaque consonum est , ut hæc parva Congregatio suas quoque habeat spirituales Exercitationes ; quibus observandis diligentissimè incumbet , & alias quasque (nisi necessitas aut obedientia id vetet) postponet ; quippè quæ etiam ad cæterarum Regularum seu Constitutionum veram observationem , & ad propriam perfectionem efficacius conducunt.

2. Cùm juxta Bullam Erectionis Congregationis nostræ , ineffabilia Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Mysteria , peculiari ratione venerari debeamus : hoc accuratissimè , & si fieri possit , omnimodè adimplere conabimur ; sed maximè hæc tria peragendo : 1. Crebrò Fidei & Religionis actus erga hujusmodi Mysteria , ex intimo corde elicendo. 2. Ad illorum gloriam , singulis
diebus

diebus aliquas preces , & pia opera offerendo ; & præsertim ipsorum Festa cum solemnitate , & maximâ, quâ poterimus , Devotione , celebrando. 3. Vigilanter enitendo , ut eorundem notitiam , honorem , & cultum in animos Populorum , sive instructionibus , sive exemplis nostris ingeneremus.

3. Et quoniam , ad illa Mysteria optimè colenda , nullum præstantius dari potest medium , quàm debitus Cultus , & bonus usus Sacrosanctæ Eucharistiæ ; sive illam spectemus ut Sacramentum , sive ut Sacrificium ; Quippe quæ in se veluti summam cæterorum Fidei Mysteriorum continet , & per se animas dignè Communicantium , & ritè Sacrificantium , Sanctificat , & tandem Glorificat ; & hoc pacto , Deo Uni & Trino , & Verbo Incarnato , amplissima gloria

accedit: Ideò nihil erit Nobis commendatius, quàm ut erga hoc Sacramentum & Sacrificium, honorem debitum exhibeamus; Quinetiam mente sollicità fatagamus, ut ei ab omnibus idem honor & reverentia reddatur: Id quod præstare pro viribus nitentur, præsertim impediendo, quoad fieri poterit, ne circa illud quicquam irreverenter agatur, aut dicatur; & sedulò alios docendo, quid de hoc tanto Mysterio credere, & quomodo debeant illud venerari.

4. Et quia eadem Bulla Nobis prætereà expressè commendat, ut similiter Beatissimam Virginem Mariam, peculiari Cultu veneremur; & idipsum alioqui, variisque titulis debemus præstare: Omnes & Singuli id perfectè, Deo auxiliante, exequi contendemus; 1. Singularem devotio-

ne hanc dignissimam Christi Matrem & Nostram, quotidie colendo. 2. Ipsius virtutes, maximè Humilitatem ac Castitatem pro viribus imitando. 3. Alios, quoties sese offeret opportunitas ac facultas, ardentè cohortando, ut ei eximium honorem, ac dignum servitium constanter reddant.

5. Maximæ erit Nobis curæ Officium Divinum debitè persolvere, quod quidem Ritu Romano, & in communi, etiam in Missionibus recitabitur, sed voce mediocri & sine cantu, ut commodiùs Proximo juvando vacemus; illistamen Dominibus exceptis, in quibus ratione Foundationum, vel Ordinandorum, vel Seminariorum externorum, vel aliâ simili necessitate, ad cantum Gregorianum obligaremur. In quocumque autem loco vel tempore Horas

Canonicas perfolvamus, meminimus, qualem ad id Reverentiam, Attentionem, ac Devotionem adhibere debeamus, qui certò scimus nos Laudes Divinas tunc celebrare, ideòque officio fungi Angelorum.

6. Cùm inter præcipua Missionum nostrarum Ministeria, illud sit, alios ad dignam & frequentem Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ receptionem, cohortari; Conveniens est ut & Nos potiori ratione, hac in re, illis exemplo præluceamus, imò & longè antecellamus. Id igitur perfectissimè adimplere studebimus: Et, ut omnia secundùm ordinem fiant, Sacerdotes bis aut saltem semel in hebdomada, uni ex Confessariis Domûs ad hoc deputatis, & non aliis, sine Superioris facultate, Confessionem facient: & quotidie, nisi quid obstet, Missam

celebrabunt: Cæteri verò ; qui Sacerdotes non sunt , singulis diebus Sabbati, & vigiliis præcipuorum Fæstorum , uni ex præfatis Confessariis , nisi Superior alium designaverit , confitebuntur ; & singulis diebus Dominicis , Festisque supranominatis , juxta Directoris consilium, ad sacram Communionem accedent: & quotidie Missam audient.

4. Cùm Christum Dominum , in eo quòd , præter diurnas meditationes , in Oratione Dei pernoctabat, omni ex parte imitari non valeamus; Juxta tamen nostram tenuitatem id agemus: Ideò Omnes & Singuli Orationi Mentali , per unam horam, singulis diebus, & , ex more Congregationis , in communi, & in loco ad id assignato , sedulò vacabunt.

8. Unusquisque sataget , ut nulum diem , præterire sinat , quo non
aliquid

aliquid ex aliquo Libro Spiritualis, juxta propriam animæ necessitatem, per tempus à Superiore vel Directore assignatum, legat. Sacerdotes insuper, & omnes Clerici, caput unum Novi Testamenti legent: & hunc Librum, tanquam Christianæ perfectionis Regulam, venerabuntur: ad maiorem autem profectum, hujusmodi lectio fiet flexis genibus, nudo capite, & saltem in fine tres sequentes actus adjiciendo; quorum primus erit, Veritates in eodem capite contentas adorare. 2. Se excitare ad eum spiritum induendum, in quo Christus, aut Sancti eas protulerunt. 3. Consilia aut Præcepta, quæ ibidem habentur, sibi proponere exequenda, ac Virtutum exempla imitanda.

9. Ad clariorem defectuum nostrorum cognitionem habendam, &

fic,

fic , cum Divino auxilio , eorum expiationem , majoremque animæ puritatem , assequendam : Omnes & Singuli quotidie duplici Examine Conscientiæ utentur : altero quidem Particulari, quod ante prandium , & coenam , de aliqua virtute sibi acquirenda , aut vitio extirpando , breviter fiet : altero verò Generali, quod de singulis diei actionibus fiet paulò ante cubitum.

10. Ut Solitudinē Christi , illam maxime dierum quadraginta , quos mansit in deserto , veneremur ; Omnes & Singuli , tùm Ecclesiastici, tùm Laici, Congregationem ingredienti, Exercitia spiritalia, ac Cōfessionem Generalem totius anteaetæ vitæ , apud aliquem Sacerdotem à Superiore deputatum , facient; Ingressi eadem Exercitia cum alia Cōfessione ab ultimâ Generali per-

agent ; Seminaristæ quidem sexto quoque mense , Cæteri verò singulis annis utrumque præstabunt.

11. Et sicut vix in virtute profectum facere quis potest , sine alicujus Directoris Spiritualis adjumento ; ita nisi dirigendus , aliquoties cum proprio Directore , de statu suo interiori , ut par est , communicet , difficillimum est , ut ad perfectionem sibi convenientem perveniat. Quapropter Omnes & Singuli rationem Conscientiæ , juxta formulam in Congregatione tradi solitam , Superiori , aut alicui ab ipso ad id deputato , saltem tertio quoque mense , maximè dum Exercitiis Spiritualibus vacabunt , & quoties id Superiori visum fuerit , cum omni sinceritate & devotione reddent.

12. Conferentiis de Rebus Spiritualibus , quæ fient semel saltem in

hebdo-

hebdomadâ , Omnes diligenter ac devotè aderunt ; quæ quidem , ut plurimum , spectabunt propriæ voluntatis , propriique judicij Abnegationem , Voluntatis Divinæ in omnibus faciendæ Exercitationem, Unionem fraternam , propriæ perfectionis Zelum , & in aliis virtutibus progressum , maximè in illis, ex quibus Spiritus Missionis componitur.

13. Ut aliquantulum , & pro nostrâ tenuitate imitemur Christum, in eo quòd humiliavit semetipsum , & inter iniquos voluit reputari ; Quâlibet feriâ sextâ , singuli suam culpam coram aliis dicent Superiori , vel alteri ipsius Superioris vices gerenti ; idque tam Domi , quàm in Missionibus ; & æquo animo admonitiones ac poenitentias sibi datas acceptabunt. Servanda pariter erit pia

illa consuetudo petendi in Capitulo, ut ibi publicè de nostris defectibus admoneamur ; & tunc quisque in spiritu Humilitatis & Charitatis , hujusmodi admonitionem facere curabit.

14. Præterea ut amorem propriæ abjectionis citiùs in nobis augeamus , & hoc pacto in viâ perfectionis magis ac magis proficiamus , quaslibet humiliationis occasiones, etiam extra Capitulum , & quocunque tempore nobis oblatas , æquanimitè amplecti in Domino nitemur: Idcirco cum in fine Orationis Mentalis , vel Conferentiæ Spiritualis, aut alterius actionis publicæ , Superior aliquem vocaverit, ut de aliquo defectu admoneatur ; ille genua illicò flectet , & in spiritu Humilitatis , ac tacens & libens , admonitionem audiet , poenitentiam imposi-

tam

tam recipiet , ac fideliter exequetur.

15. Et si labores Missionariorum continui , non patiantur eos per Regulam aliquã mortificationibus corporis & austeritatibus onerari ; illas tamen unusquisque plurimi faciet , ad easque affectu animi semper propendebit ; imò poterit , prout sanitas & seriæ occupationes permittent , illis uti ; exemplo Christi & primorum Christianorum , & etiam multorum , qui pleni spiritu pœnitentiæ , vivunt in sæculo : Nemo tamen inconsulto Superiore , vel Directore ullas , nisi in Confessione injunctas , assumet.

16. Ut aliquo modo Passionem Christi honoremus : Quisque feriã sextã cujusque hebdomadæ in ferotinã refectioe contentus erit uno ferculo , eoque oleribus aut leguminibus ;

nibus ; nisi in Missionibus , aut iter faciendo.

17. Feriâ secundâ & tertiâ post Dominicam Quinquagesimæ , à carnibus Domi abstinemus , ut hac fanè minimâ mortificatione Deum eodem tempore colamus , quo eum plerique Christiani suis dissolutionibus , & commestationibus graviter offendunt.

18. Insuper Ordo diei in Congregatione consuetus , exactè ab omnibus sive Domi , sive in Missionibus observabitur , maximè quoad horas surgendi & decumbendi , Orationi vacandi , Divinum Officium recitandi , cibum sumendi.

19. Ut mens simul cum corpore reficiatur , in omnibus Domibus nostris , necnon in Missionibus , in mensâ per totum refectionis tempus , Lectio spiritualis semper habebitur.

20. Servandæ quoque erunt aliæ laudabiles Congregationis Consuetudines , cujusmodi sunt istæ ; Immediatè ante egressum Domûs , sicut & post reditum , Ecclesiam adire , & Christum in Sacramento salutare ; Pauperes maximè mendicantes , cùm sese offeret opportunitas , præsertim peregrè eundo , Catechizare ; in ingressu & egressu cubiculorum domesticorum , genua flectere , ut ante actionem Deum invocemus , & post eam ei gratias agamus.

21. Si præter pia exercitia in his Regulis præscripta , velit aliquis alia superaddere , id Superiori aut Directori communicabit ; nihilque aget hac in re , nisi quod ab iis permissum fuerit ; ne , si secus agat , fortè suam , & etiam Diaboli voluntatem impleat , & sic in pœnam suæ in hoc indiscretionis vel inobedientiæ , ab
illo;

illo, subspecie boni, decipiatur, ac tandem aliquod animæ suæ detrimentum patiatur.

C A P U T XI.

De Missionibus, caterisque Congregationis Functionibus, erga Proximum obeundis.

I. **C**UM Dominus noster Jesus Christus, Discipulis suis Regulas de Missionibus faciendis tradiderit, illis præcipiendo rogare Dominum messis, ut mitteret Operarios in messem suam, & designando apud quas nationes se conferrent, quid iter faciendo observarent, quas domos diversandi causâ ingrederentur, quid prædicarent, quibus vescerentur, denique quâ ratione se haberent erga eos qui se
nollent

nollent recipere : Nos ideò pro tenuitate nostrâ eorum vestigiis inhaerentes , sequentes Regulas , sicut & Monita in Congregatione tradi solita ; quæ scilicet rationem & ordinem rectè nos gerendi in Missionibus , aliisque nostris Functionibus , continent , accuratè observabimus.

2. Unusquisque , cum sese offeret occasio , consilio & admonitione Proximum juvare nitetur , & ad bona opera exercenda eum incitabit ; Nullus tamen curam dirigendi aliquem suscipiet , nisi in Exercitiis Spiritualibus , Missionibus , illisque Congregationis Domibus , in quibus Nostri Regimen habent Animarum , aut aliis occasionibus , cum ad id applicati fuerint à Superiore ; sed in iis etiam nemo absque licentiâ & approbatione Superioris , ullas instructiones vel vivendi formu-

las , scripto unquam dabit.

3. Ne Missionariis nostris meritò obijciatur , illud Apostoli , *Quomodo predicabunt , nisi mittantur ?* Nemo publicè Concionabitur , aut è suggestu Catechizabit , nisi fuerit ad id à Visitatore approbatus , & ab eodem Visitatore , aut à suo Superiore immediato ad id applicatus : In Missionibus tamen poterit earum Director , cùm expedire in Domino judicaverit , & sit periculum in morâ expectandi per litteras responsum Superioris , Concionatores & Catechistas ad tempus mutare , alios substituendo ; dummodò de ratione hujusmodi mutationis , quamprimùm poterit , Superiorem admoneat.

4. Sicut non licet ulli ex Nostris , nisi ab Ordinario sit approbatus , Confessiones , tam Nostrorum , quàm Externorum audire ; ita qui ejus-

modi

modi approbatione gaudent, ne quis abusus inde sequatur, non debent ejusmodi munus exercere, nisi prius ad id fuerint à Visitatore designati, & ab ipso Visitatore, aut à Superiore Particulari applicati.

5. Ituri ad Missiones secum semper deferent Mandatum Illustrissimorum ac Reverendissimorum Episcoporum; in quorum Diocesibus Missiones fient, illudque Parochis, aut aliis Ecclesiarum, ad quas itur, Superioribus ostendent, & peractis Missionibus, antequam revertantur Domum, D.D. nostris Episcopis, si ita ipsis visum fuerit, referent, quæ circa illas gesserint: Sed prius consulendus est Superior, ut personam, & modum ad id agendum, designet.

6. In ingressu & egressu Missionis petent omnes Benedictionem à Parochis, & si absint, ab eorum Vi-

cariis : & nihil majoris momenti facient , nisi prius illud iis communicaverint , & ipsis invitis quicquam aggredi cavebunt.

7. Exemplo B. Pauli , qui , ne quem gravaret , ad ea , quæ sibi & fociis opus erant , nocte & die suis manibus laborabat : Nos in Missionibus nemini erimus oneri ; sed omnia nostra Exercitia peragemus gratis & absque ulla retributione , vel sustentatione temporali : oblatâ tamen habitatione, necessariâque suppellectili uti licebit.

8. Tametsi unusquisque debet ardentè optare , & etiam cum res postulat , humiliter petere , ut visitandis ægris aut jurgiis & litigiis componendis , maximè in cursu Missionum , applicetur : tamen ut Charitas per Obedientiam sit benè ordinata, nemo hujusmodi opera Misericordie

diæ suscipiet sine Superioris licentiâ.

9. In proponendis dubiis circa Casus Conscientiæ in Confessione occurrentes, magna prudentia & cautela adhibenda erit; ita ut nunquam possit dignosci persona de quâ agitur. Et ut malis, quæ inde possent oriri, occurratur, nemo dubia de ullo Casu Conscientiæ alicujus momenti in Confessione audito, proponet, nisi prius consulto Directore Missionis.

10. Missionariorum, sive Sacerdotum Missionis nomen, (quod a Nobis non usurpatum, sed Divinâ ordinante Providentiâ, Populorum communi voce Nobis impositum est) satis demonstrat, Missionum opus, inter cætera erga Proximum Exercitia nobis esse primum & potissimum: Quamobrem non debet Congregatio sub alterius operis pij,
alio.

alioquin utilioris , prætextu , illas unquam omittere : sed unusquisque toto animi affectu ad easdem se convertet ; itaut sit semper paratus ad Missiones toties obeundas , quoties eum Obedientia vocabit.

II. Et quoniam Monialium Directio Missiones , aliasque Instituti nostri Functiones , non parùm moraretur ; Omnes & Singuli ab illis dirigendis omninò abstinebunt : Nullusque eas inviset , aut apud illas prædicabit , etiam in ipso Missionum cursu , nisi priùs ad id expressam Superioris , saltem Particularis , facultatem habuerit : & licèt nostra Congregatio ad Puellas seu Mulieres Communitatis charitatis dirigendas , ex ipsarum Institutione jam deputata sit : Nemo tamen ex Nostris illarum Directioni operam dabit , aut apud illas se conferet , aut etiam

cum

cum illis habeat colloquium , sine ejusdem Superioris licentiâ.

12. Cæterum intelligent Omnes & Singuli , quod Ministeria nostra, Domi exercenda erga Ecclesiasticos externos , Ordinandos maximè & Seminaristas , sicut & erga alios in Secessu spirituali dirigendos , non debent , sub prætextu Missionum , negligi: hæc enim oportet facere, & illa non omittere : cum ad utrumque munus obeundum , quoties à Prælatiis & à Superioribus vocati sumus , ex Instituto nostro ferè æqualiter (Licet Missiones sint præferendæ) astringamur : & etiam diuturno constet Experimento , quosvis fructus ex iisdem Missionibus perceptos , vix posse diu conservari sine Parochorum adjumento ; quorum perfectioni non parùm conferre videntur præfata Ministeria: Idcirco

cò unusquisque ad illa rectè & piè exercenda, se Deo lubenter dicabit. Quod ut meliùs & faciliùs exequatur, eas Instructiones, quæ ad id solent dari à Superioribus nostris, exactè observare studebit.

C A P U T XII.

*De nonnullis Mediis & Adjumentis ad prædictas Functiones Benè & Fru-
ctuosè obeundas, requisitis.*

I. **Q**uemadmodum Cōgregatio, in ipso Regularum seu Cōstitutionum istarum initio, sibi Christum Dominum proposuit imitandum, in eo quod cæpit Facere & Docere; ita in hoc finali capite necesse est, ut ipsum pariter statuat sequi in eo quod Benè omnia fecit: Quidquid enim Boni egerimus,

mus, id poenam potiùs meretur, quàm præmium, nisi Benè fiat. Quapropter conveniens fuit hæc pauca Documenta ac Media ad præfatas Functiones Benè exercendas conductia, adjungere; quæ Omnes nostri Missionarij in usu habere diligenter curabunt.

2. Unusquisque in singulis operibus suis; & præsertim in Concionibus, aliisque Congregationis Functionibus purissimâ soli Deo placendi intentione, quantum in se erit, animari, illamque identidem, maximè initio præcipuarum actionum, renovare studebit: Sed in primis cavebit, ne in iis ullum, vel hominibus placendi, vel sibi satisfaciendi desiderium admittat; quod quidem sanctissimam quamque actionem posset inficere ac depravare; juxta doctrinam Christi:

Si oculus tuus fuerit nequam , totum corpus tuum tenebrosus erit.

3. Et quoniam , ut ait Apostolus, quandoque contingit , ut , cùm spiritu cœperimus , carne consummemur ; quod solet accidere , vel cùm actionem nostram subsequitur vana quædam complacentia , quâ inaniter pascimur, si cum hominum plausu illa nobis successerit ; vel cùm ita nobismetipsis graves ac molesti videmur , ut nullo modo possimus conquiescere , si actio nostra minùs felicem exitum sortita fuerit : Ideò omni curâ ac diligentia cavebimus , ne in ullo eorum unquam delinquamus. Ut autem priori malo occurratur , hanc Veritatem nobis ob oculos ponemus ; omnem gloriam Deo , nihil verò nobis tribuendum , nisi confusionem : Deinde valdè timendum , ne , si hu-

jusmodi

jusmodi plausibus vanè delectemur, hæc verba Christi audiamus, *Amen dico vobis, recepistis mercedem vestram.* Posterioris verò mali remedium hoc erit, continuò ad veram Humilitatem, & propriæ Abjectionis amorem, quem Deus à nobis tunc exigit, confugere; deinde attentè considerare, sæpissimè ex hujusmodi contradictionibus patienter toleratis tantum Gloriæ ad Dei nomen, & ad proximū utilitatis accedere, quantum ex Prædicationibus Populo gratis, ac in speciem fructuosis, sperare possemus.

4. Et quia duo illa mala Concionatoribus infesta, inanis scilicet Complacentia, & inordinata Inquietudo, solent etiam oriri ex propriis tum Laudibus, tum Censuris, circa hujusmodi actiones publicas, auditis: Nemo Nostros, præsertim

si aderint , ob raras naturæ vel artis Dotes , maximè ob Conciones eloquenter , & cum hominum plausu habitas , collaudabit : aut è contra ob Scientiæ sive Eloquentiæ defectus , aliosque ejusmodi inter prædicandum annotatos , redarguet. Quòd si qui , ad pusillanimitatem temperandam , aut vanum pruritus cohibendum , aliquâ indigerent , vel congratulatione , vel admonitione , Superioris erit id efficere , aut aliquem deputare , qui prudenter , & privatim utrumque præstet. Ne fas tamen non erit , interdum illos , ob Humilitatis , Mortificationis , Simplicитatis , aliarumve ejusmodi Virtutum actus , etiam in ipsis Prædicationibus productos , commendare ; dummodò sobriè , discretè , ipsis absentibus , & coram Deo id agatur.

5. Quamvis Simplicitas, quatenus primaria, & maximè propria Missionariorum Virtus, ab iis semper & ubique, sit fideliter exercenda; illam tamen accuratiùs ad praxim redigemus in Missionibus, maximè dum verbum Dei annunciamus Rusticanis, cum quibus, tanquam Simplicibus, esse debet ex ore nostro Sermocinatio ejus. Idcirco stylus Concionum nostrarum, & Catechismorum simplex erit, & ad captum Populi, necnon juxta simplicem Methodum, quâ usa est usque adhuc Congregatio. Propterea unusquisque à molli & affectatâ locutione abhorrebit; nec studebit in Cathedrâ Veritatis, curiosos & nimis exquisitos animi conceptus, & inutiles argutias proferre; attendens Christum Dominum, ejusque Discipulos, simplici loquendi mo-

do usos fuisse , atque ita amplissimam messem , fructusque copiosissimos retulisse.

6. Qui Seminariis Externorum , Directioni Ordinandorum , Conferentiis cum Parochis , & aliis Ecclesiasticis , aut similibus Exercitiis applicabuntur : illâ simplici , ac populari loquendi ratione similiter utentur : & insuper studebunt , eos omnes , non minùs ad Pietatem , quàm ad Doctrinam , tam exemplo , quàm verbo promovere ; sed præfertim nitentur cum illis agere in omni Humilitate , Mansuetudine , Reverentia , & Affabilitate. Qui verò Exercitiis Spiritualibus tradendis vacabunt , eadem , quoad fieri poterit , observabunt.

7. Quandoquidem Novæ , aut Particulares Opiniones plerùmque nocent & suis Authoribus , & Sectatoribus,

toribus, cavebunt Omnes & singuli ab hujusmodi Novitate & Particularitate, imò semper in Doctrinâ, in Dictis, & in Scriptis, quoad fieri poterit, convenient, ita ut, juxta Apostolum, *Omnes idem sapere, & sentire* ac etiam idem dicere possimus.

8. Et quoniam, ut ait Sanctus Zeno, *Curiositas Reum efficit non Peritum*; & secundum Apostolum, *Scientia inflat*, tunc maximè cum ejus Consilium negligitur, *Non plus, scilicet, sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad Sobrietatem*; Idcirco Omnes, sed Præsertim Scholastici, continuè invigilabunt, ne illa inordinata sciendi Aviditas, corda sua sensim invadat: non tamen desinent studiis ad functiones Missionarij ritè obeundas necessariis, impen-
sè vacare; dummodò præcipua cura
fit

fit addiscere scientiam Sanctorum, quæ in schola Crucis docetur; ita ut nonnisi Jesum Christum valeant prædicare, exemplo ejusdem Apostoli; qui etiam, scribens ad Corinthios, ingenuè fatetur, quòd non judicavit se aliquid scire inter illos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum.

9. Inter omnia Evangelij Documenta, iis, qui in vinea Domini laborant, necessaria, hoc Nobis debet esse commendatissimum: *Qui inter vos vult esse major, fiat sicut minor, & aliorum minister*: Etenim, si quando ab hujus Documenti observatione cessaret Congregatio, confestim inordinato Gloriæ appetitu in eam grassante, penitus destrueretur: quippe qui sese in animos naturâ suâ ad elationem proclives, facillimè insinuans, eos ad plurima

impel-

impellit mala, sed præsertim ad Officia honorifica ambienda, tum ad invidiam in eos, qui ad illa provehuntur, concipiendam; vel etiam ad propriam satisfactionem exquirendam, si ipsi in illis gradibus constituentur; Qui quidem illecti ac delusi specioso Gloriolæ fulgore, in quem solum oculorum aciem intendunt, proximum præcipitium attendentes, in illud tandem miserè delabuntur. Ideò nihil Nobis potius erit, quam ut hoc Superbiæ Monstrum fugiamus. Quòd si Ambitio corda nostra jam occupaverit, statim juxta præfatum Domini Consilium, illam expellere conveniet per intimum Humilitatis actum, quo in oculis nostris fieri viliore nitamur, locumque novissimum sæper tenere percupiamus. Si verò ob Officia aut Munera honorifica, qui-

bus fungimur, Nos vanâ gloriâ inquinatos noverimus, remedium contra illam hoc erit: Quamprimum à Superiore petere (cum submissione tamen) ut ab iis muniis Nos amoveat, & ad vile aliquod Ministerium pro suo arbitratu applicet.

10. Omnes quoque singulari studio primos Invidiæ motus reprimere curabunt, qui ex eo oriri possent, quòd aliæ Congregationes, famâ, hominum favore, & Honorificis occupationibus Nostram superent; certò sibi persuadentes, non interesse per quos Christus annuncietur, dummodo annuncietur; & æqualem, vel etiam quandoque amplio-rem gratiam, & meritum nobis accedere, cum de Bonis aliorum Operibus gaudemus, quàm si eadem nos ipsi cum propriâ satisfactione, vel intentione minùs perfectâ, faceremus:

ceremus : Idcirco quisque nitetur Spiritum Moysis induere , qui rogatus , ut quosdam Prophetantes prohiberet , exclamavit : *Quis tribuat ut omnis Populus Prophetet , & det eis Dominus Spiritum suum ?* Præterea cæteras qualvis Congregationes Nostrâ longè digniores æstimabimus , licet illam majori cordis affectu prosequi debeamus ; ut puer Bonæ indolis Matrem suam , quamvis pauperem & deformem , multò plus diligit , quàm cæteras quasque , etiam si divitiis & formâ conspicuas. Intelligent tamen Omnes , tenerum hunc Amorem spectare tantum Personas , Virtutes , & Gratiam ipsius Congregationis , non autem quod in eâ delectabile est , vel hominum plausu emicat : id quod speciali studio profitebimus odisse & fugere , non solum quisque quod ad se atti-

net, sed etiam quod ad totam ipsam Congregationem: ita ut ne quidem appetamus, ut ipsa ab hominibus videatur, eique applaudatur, sed potius humilietur & abscondatur in Domino; mente recolentes eam esse Granum illud Sinapis, quod, nisi seminatum & occultatum in terrâ, crescere, fructumque facere non potest.

II. Cavebunt similiter Omnes à duobus aliis Vitiis, quæ non minus Instituto Missionis, quàm sibi invicem sunt opposita; tantoque magis perniciofa, quanto minus talia apparent; eò quòd sensim aliam induant speciem; ita ut persæpè pro veris Virtutibus sumantur: hæc autem sunt Spiritus Acediæ, & Zelus indiscretus: Primum quidem paulatim animo subrepens, prætextu discretionis in corporis conservatio-

ne necessariò adhibendæ, ut inde ad Dei Cultum, & Animarum Juva-
men simus aptiores, Nos ducit ad
Corporis commoditates exquiren-
das, necnon ad Laborem, qui Vir-
tutem comitatur, fugiendum; quem
ideò multo majorem falsò demon-
strat, ut illa quasi odio digna nobis
appareat, quæ per se est semper ab
omnibus adamanda; & sic incurra-
mus maledictionem illam à Spiritu
Sancto pronunciatam in hujusmodi
Operarios, qui faciunt Opus Dei
negligenter, aut fraudulenter. Al-
terum verò, amorem proprium,
aut nostram indignationem obte-
gens, nos ad nimiam asperitatem
tum in peccatores, tum in nos ipsos
exercendam, aut ad laborem supra
vires, aut etiam contra Obedientiam,
cum corporis & animi detrimento
fufcipiendum, impellit, ut reme-

diis postea ardentè quærendis nos implicet , & hoc pacto Segnes & Carnales efficiat. Ab his igitur duobus extremis Omnes declinare , mediumque semper tenere , totis viribus nitimur ; quod quidem medium sine dubio reperiemus in exactâ Regularum seu Constitutionum nostrarum benè intellectarum observantiâ , necnon in labiis eorum , qui custodiunt Scientiam , in quorum manibus , speciali Dei ordinatione , Animæ nostræ sunt ; si tamen humiliter ac confidenter de ore eorum , quoties opus erit , legem requiramus , eorumque Directioni omnimodè , & perfectè subjiciamur.

12. Ante omnia memores erimus, quòd licèt iis Virtutibus , ex quibus Missionis Spiritus componitur, Nos semper instructos esse oporteat , il-

lis tamen Nos tum maximè muniri expedit , cùm tempus Ministeria nostra apud Ruricolas exercendi , advenit, illasque tunc debemus mente conspicere , velut quinque limpidissimos Davidis lapides , quibus percussum etiam primo ictu infernalem Goliath in Nomine Domini Exercituum devincemus , Philistinofque , id est , Peccatores Servituti Dei subjiciemus ; si tamen priùs Arma Saùlis deponamus , & Fundâ ejusdem Davidis utamur : si videlicet cum Apostolo , non in persuasibilibus , aut doctis humanæ sapientiæ verbis , sed in Doctrina & Offensione Spiritus & Virtutis (tametsi sermo noster sit contemptibilis) ad Evangelizandum prodeamus : animo recolentes , quòd , si juxta eundem Apostolum , infirma , stulta , & contemptibilia Mundi ele-

git Deus , ut per illa hujus Seculi sapientes , ac fortia quæque confundat & destruat , sperari potest fore , ut ipse , ex suâ infinitâ Bonitate , Nobis , licet indignissimis Operariis , det Gratiâ ei , pro modulo nostro , cooperandi in Salutem Animarum , præsertim Pauperum Rusticanorum.

13. Omnes singulari colent veneratione & amore Regulas , seu Constitutiones nostras , etiam quæ inter ipsas non tanti viderentur momenti ; eas omnes spectantes , ut media Nobis à Deo ipso tradita , ad perfectionem Vocationi nostræ congruentem , acquirendam , & consequenter Animæ Salutem faciliùs utiliùsque operandam. Quapropter ferventia ac generosa sæpè concipient desideria illas fideliter observandi. Quod si quæ intellectui , aut sensui

(nostro

nostro repugnent , in iis continuo nosmetipsos superare , ac naturam vincere conabimur ; recogitantes, juxta verba Christi , Regnum Cœlorum vim pati , & violentos rapere illud.

14. Ut autem hæ Regulæ seu Cōstitutiones Communes , sicut & Speciales ad suum cujusque Officium pertinentes , memoriæ & animo altiùs inhæreant , & ita strictiùs observentur : Singuli apud se illas habebunt , ac saltem tertio quoque mense perlegent , vel audient : easque rectè intelligere curabunt , & pro suis quisque circa illas defectibus , à Superiore aliquoties in anno pœnitentiam humiliter petent , ut istà humilatione faciliùs à Domino veniam ipsorum defectuum obtineant , novasque contra relapsum in posterum vires

assumant: Quinetiam illa fidelitas, quam in hac re præstandâ exercuerint, argumentum erit Fidelitatis, quam in ipsis Regulis seu Constitutionibus observandis adhibuerint, signumque desiderij, quo erga propriam Perfectionem afficiuntur. Quòd si aliquem in earum observantiâ progressum quispiam fecisse noverit, gratias Christo Domino aget, ac supplicabit, ut eas in posterum melius observandi Gratiam sibi, totique Congregationi largiatur. Cæterum firmiter Nobis persuadendum est, quòd, juxta verba Christi, cum fecerimus omnia quæ præcepta sunt Nobis, dicere debemus: Nos servos inutiles esse, quod debuimus facere, fecisse, imò sine illo nihil facere potuisse.

BULLA

URBANI VIII.

*Pro Ereptione Congregationis. Anno
MDCXXXII.*

URbanus Episcopus servus servorum Dei. Dilecto Officiali Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Parisiensis Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Salvatoris nostri Domini Jesu Christi Salutis nostræ Autoris, & omnis salutaris Doctrinæ Magistri, vices licet immeriti gerentes in terris, pro Pastoralis Officii debito, Divini cultûs augmento, Religionis propagationi, & animarum saluti intendentes, pia, & salubria fidelium quorūlibet, præsertim generis nobilitate præditorum, suas facultates

N ii

ad

ad ea liberaliter erogantium , & piorum Ecclesiasticorū Virorum , Dei servitio , & salutis animarum quærendæ se addicentium , vota , ad Institutionem Religiosarum Congregationum , per quas rudes in Dei doctrinâ excoli , salutaria monita , & præcepta seminare , & piorum operum exercitium fieri , & procurari valeant , ut inde Dei cultus auctior , & animabus salus proveniat , tendentia , pii Patris affectione amplectimur , ac easdem Congregationes , nostræ approbationis , & novæ Institutionis , aliisque specialibus favoribus , & gratiis prosequimur , prout in Domino confpicimus salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vincentij de Paulo Præsbyteri Aquensis Diœcesis , Provinciæ Auscitanensis , Superioris

perioris Generalis, & universorum
Præsbyterorum, ac Sociorum Con-
gregationis Missionis nuncupatæ
Civitatis Parisiensis petitio contine-
bat: Quòd dilectus filius, nobilis
vir, Emmanuel de Gondi, Co-
mes de Joigny, & Præfectus Gene-
ralis Triremium totius Regni Gal-
liæ, ac dilecta in Christo filia, no-
bilis mulier, Francisca Margarita
de la Rochepot, conjuges, se-
cum ipsi reputantes ad Christiano-
rum omnium salutem maximè con-
ducere, Divinorum Præceptorum,
& rerum Fidei Catholicæ instru-
ctionem, assiduam Verbi Dei præ-
dicationem, & auditionem, Con-
fessionis Sacramentalis frequentatio-
nem, & Sanctissimi Eucharistiæ Sa-
cramenti condignam susceptionem;
& iis quidem, qui Civitates, ur-
besque præcipuas incolunt, Prædi-
catores,

catores , adhortatores , & monitores non deesse insigni doctrinâ , & pietate viros , qui Prædicationibus suis ædificent eos , ac omnia , quæ ad salutem sunt , summâ cum laude , & fructu animarum , eos edoceant ; eorum verò qui in Villis , Terris , Pagis Oppidulis , & locis humilioribus habitant , & præsertim Ruricularum non parem curam haberi , eosque fidei Catholicæ præcepta , modum vitæ , & rectè peccata sua confitendi ; Denique omnia ea , quæ ad salutem pertinent ignorare ; & ideo majori auxilio indigere , cùm eorum Parochi vix possint tanto muneri satisfacere : hinc deplorandam animarum , quarum tamen redimendarum gratiâ Christus Deus , & Dominus noster , humanâ carne assumptâ , mortem Crucis subire dignatus est , jacturam

eturam fieri : Cogitarunt ad salutem animarum utilissimum , Deoque Optimo Maximo gratissimum fore , si aliqua pia proborum , & idoneorum virorum Congregatio institueretur , qui Rusticorum , & habitatorum Pagorum , Oppidulorum , & locorum humilium hujusmodi , Institutionis curam haberent ; & de propriis eorum bonis ad hanc Congregationem , seu ejus Domum in dicta Civitate Parisiensi instituendam , seu fundandam quadraginta quinque millia librarum Turonensium erogarunt. Hoc salutari Consilio invito dictus Vincenius , cui etiam hanc eandem mentem , bonorum omnium Autor Deus induxerat , hanc à paucis susceptam , Republicæ tamen Christianæ utilissimam provinciam , huic Congregationi principium daturus

suscepit ; & mox Divino favente Numine quamplurimos pios , & cordatos hujusce Instituti amplectendi cupidus Ecclesiasticos viros invenit ; qui in quandam Domum ad eorum habitationem aptam , & cōmodam in dictâ Civitate existentem , de licentiâ venerabilis Fratris nostri , Joannis Francisci de Gondi , moderni Archiepiscopi Parisiensis , qui uti pium , & vigilem Pastorem decet , de commissi sibi Gregis salute sollicitus , & sperans ex tam utili Instituto maximos fructus in beneficium animarum proventuros , illius Institutores paternâ benevolentia commendans , pium eorum propositum plurimum in Domino commendavit , se receperunt , atque inibi in communi vixerunt , & vivunt sub gubernio , & directione dicti Vincentij , qui
ejus

ejusdem Domus , & Congregationis , quæ Congregatio Missionis nuncupatur , Superior Generalis ad ejus vitam electus , seu deputatus fuit ; eisque capitula infra scripta , & regulas observanda præscripsit. Videlicet , quòd hujusmodi Congregationis , illiusque personarum præcipuus finis , & peculiare Institutum sit , Divinâ favente gratiâ , cum propriâ salute , in eorum salutem incumbere , qui in Villis , Pagis , Terris , locis , & Oppidis humilioribus commorantur ; in Civitatibus autem , & Urbibus , quæ Archiepiscopatum , Episcopatuû , Parlamentorum , & Bajulatum titulis insignitæ sunt , Clerici , & Sacerdotes dictæ Congregationis nulla publica eorum Instituti munera obeant ; Privatim tamen eos , qui ad Ordines promovendi fuerint , &

ad eos spatio quindecim dierum ante promotionis tempus ad spiritualia exercitia, & confessionem totius vitæ faciendam mittentur, ad eodem Ordines Suscipiendos instituant; Cultus peculiaris sit Santissimam Trinitatem, Sacrum Incarnationis Mysterium, & Beatissimam Virginem Dei Matrem Mariam venerari: Hujus Congregationis socii licet illius Superioribus, & Generali quoad disciplinam, & directionem subsint, subjaceant etiam locorum Ordinariis quoad Missiones tantum. Ita ut ipsi Ordinarii ab ipsis Superioribus designatos ad suarum Dioecesum partes sibi benè visas mittere possint. In iis locis, ad quæ missi fuerint, ignorantes Dei præcepta doceant, eosque Doctrinæ Christianæ rudimentis informant, Confessiones etiam generales audiant,

ac eis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrent , conciones familiares ad populi captum habeant , Catechismi munus exerçant, obtentâ tamen priùs à Parochis licentiâ , sine quâ præfatis exercitiis se non immisceant: In locis ubi Catechismi , & Prædicationis munus exercuerint , Confraternitates , quas vocant Charitatis , Ordinarij auctoritate institui procurent , ut pauperibus ægrotis subveniatur , lites , discordias , atque dissidia sedare , & componere summâ Charitate nitantur. Parochialium Ecclesiarum Rectores ad spiritualia exercitia , & Ecclesias suas regendas instrui volentes , in Domibus dictæ Congregationis recipiantur. Deniquè operam dent , ut ipsi Rectores de casibus conscientiæ , & Sacramentorum administratione tractaturi , semel quolibet men-

se inſimul convenient , quando id pro locorum vicinate commodè, & abſque eorum curæ detrimento fieri poſſit. Hæc omnia gratuitò , & abſque ullâ ſpe præmij humani , Divinum expectantes , præſtent. Porrò dicta Congregatio Laicis , Clericis, & Præsbyteris conſtet. Laici Marthæ Officio contenti , domesticas res curent. Clerici decem & ſeptem , ſeu decem & octo annis non minores recipiantur : & anno probationis exacto , ſi idonei judicati fuerint , & animum habeant toto vitæ ſuæ tempore in dictâ Congregatione permanendi , corpori Congregationis inferantur , & in illius ſocios admittantur. Quotidè Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio interſint , & ſingulis octo diebus Sacramentalem Confessionē frequentēt, ac Divinum Euchariſtiæ Sacramentū ſumant ; Sacerdotes ve-

rò quotidiè Missam celebrent , omnes verò tam Sacerdotes quam alij , horam integram meditationi impendant , & prætereà Conscientiæ examine utantur. Post obitum dicti Vincentij , alius Superior Generalis de corpore Congregationis ab ipsâ Congregatione eligatur , idemque Superior Generalis omnes alios quarumcumque Domorum dictæ Congregationis Superiores , aliosque Ministros inferiores instituendi , eosque amovendi , mutandi , & transferendi , domos , res , & personas ipsius Congregationis visitandi , & corrigendi , omnemque deniquè auctoritatem , & superioritatem , quam similibus , & aliarum Congregationum Superiores Generales , in suarum Congregationum domos , res , & personas habent , aut habere possunt ,
yel

vel potuerunt , habeat : Ab ipso itaque ejusdem Congregationis Missionis primordio illius Præsbyteri in perlustrandâ Diœcesi Parisiensi sese indefesso animorum , & corporum studio occuparunt , unum , aut alterum mensem in singulis Pagis , & locis manentes , propositæ Rusticorum , & ignorantium instructioni vacâtes , eos Dei præcepta , & Fidei Catholicæ rudimenta , modumque vitæ , & rectè peccata confitendi edocentes , catechizantes , crebras ad eos de Mysteriis Fidei conciones habentes , eis Pœnitentiæ , & Eucharistiæ Sacramenta administrantes. Rectores Parochialium Ecclesiarû , aliosque Præsbyteros de rebus ad eorum munus spectantibus , plenissimè informantes , eos qui non longè ab invicem distant , ad insimul interdum conveniendû ,

& de

& de casibus conscientiarum, & administratione Sacramentorum differendum, & disceptandum adhortantes, eorumque discursus, & disceptationes suam presentiam, interventu, & opere, ac opera adjuvantes. Confraternitatum Charitatis Institutiones, litium, & discordiarum compositiones, atque odiorum depositiones procurantes. Ad hæc Clerici ad Sacros Ordines promovendi in eorum domo Parisiensi, & juxta modum præscriptum recepti, de Ordinum ab eis recipiendorum importantiam, & de modo illos dignè suscipiendi, omni charitate & diligentiam instructi, aliaque spiritualia opera ab ipsius Congregationis Sociis juxta præfatum Institutum diversimodè exercitata fuerunt, & incessanter exercent. Ex quorum felicibus successibus evidenter appa-
ret

ret hoc ipsum Institutum Deo acceptissimum, hominibus verò utilissimum, prorsusque necessarium esse; ex eo enim licet non multo adhuc tempore, rarus antea confessionum Sacramentalium, & Generalium, & Sanctissimæ Eucharistiæ usus, per Dei gratiam frequens factus est. Confraternitates Charitatis, quamplurimis in locis in subventiones ægrotorum institutæ, Matrimonia clandestina sublata, publica peccata correctæ, bona rapta restituta fuisse constat, Sacra Tempia melius ornata visuntur; Ceremoniæ Ecclesiasticæ accuratiùs observantur, Officium Divinum cum majoris pietatis sensu peragi, & audiri, aliaque plurima spiritualia bona provenisse cernuntur. Adeò ut pii hujus Instituti fama per Galliam diffusa, multos diversarum Civitatum, & Provinciarum

vinciarum Antistites excitarit ad aliquos dictæ Congregationis Missionis Præsbyteros, & Socios ad suas Dioeceses accersendos, quorum operâ ad subditos suos ad virtutis, & pietatis studium excitandos utilissimè utuntur; multique jam varijs in locis novas ipsius Congregationis Domorum Institutiones efflagitarunt, quorum pio, & laudabili desiderio ut satisfiat, & *sit tam utilis Instituti propagatio summoperè expetenda, quin etiam procuranda videatur*, nostra & Sedis Apostolicæ approbatio expectanda visa est. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ex hoc pio Instituto maximos fructus provenisse experientia docuerit, spereturque adeo felicia initia, feliciores in dies progressus habitura, firmiùs verò subsistant ea, quæ Sedis præfatæ munimine roborantur,

rantur , nobis propterea pro parte Vincentij , ac Clericorum , Præsbyterorum , & Sociorum prædictorum fuit humiliter supplicatum , quatenus Congregationem præfatam approbare , aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur , qui Divinum Cultum crescere , Religionem propagari , Ecclesiæ Ministros augeri , Salutis animarum studium , ac piorum operum exercitium vigere ubique sinceris desideramus affectibus , Vincentium , ac Clericos , Præsbyteros , & Socios prædictos , eorumque , & Congregationis præfatæ singulares personas à quibusvis excommunicationis , suspensionis , & interdicti , aliisque Ecclesiasticis sententiis , censuris , & pœnis à jure , vel ab homine , quâvis occasione , vel cau-

fâ latis, si quibus quomodolibet in-
nodati existant, ad effectum præ-
sentium duntaxat consequendum,
harum ferie absolventes, & abso-
lutos fore censentes, hujusmodi
supplicationibus inclinati, ex voto
Venerabilium Fratrum nostrorum
S. R. E. Cardinalium, negotijs
Regularium præpositorum, Dis-
cretionis tuæ per Apostolica scripta
mandamus, quatenus Congregatio-
nem Missionis hujusmodi, illius-
que Institutum, & Regulas, ac in
eis contenta, indeque legitimè se-
quuta quæcumque, nec non omnia,
& singula per dictam Congregatio-
nem, seu illius Socios, & perso-
nas in observantiam, & vim dicti
Instituti facta, nec non electionem,
seu deputationem de personâ dicti
Vincentij in Superiorem Generalem
dictæ Congregationis Missionis ad

vitam , ut præfertur factam , aucto-
ritate nostrâ perpetuò approbes , &
confirmes , illique inviolabilis A-
postolicæ firmitatis robur adjicias ;
ac omnes & singulos tam juris ,
quam facti , ac solemnitatum , etiam
quantumvis substantialium , & de
jure requisitarum , & quosvis alios
defectus , si qui in illis interven-
rint , suppleas : Et insuper ad ma-
jorem cautelam in dictâ Civitate Pa-
risiensi , & Domo , in quâ dicta
Congregatio Missionis , ut præfertur ,
instituta fuit , unam prædicti Insti-
tuti Congregationem Missionis nun-
cupandam , quæ Laicis , Clericis ,
& Præsbyteris constet , qui Institu-
tum , omniaque in dictis Regulis ,
& Capitulis contenta observare , &
adimplere teneantur ; & quoad dis-
ciplinam , & directionem præfato
Vincentio , quem in Superiorem Ge-
neralem

neralem ejusdem Congregationis Missionis , quandiù vixerit , de novo harum serie Apostolicâ auctoritate deputamus , ac pro tempore existenti ejusdem Congregationis Missionis Superiori Generali , qui post obitum dicti Vincentii , ab ipsâ Congregatione ex ejus corpore eligi debeat ; quo verò ad Missiones tantùm , etiam Ordinarijs locorum , ut supra dictum est , subesse debeant , adeò ut in reliquis dictus Superior Generalis in omnes Domos ejusdẽ Congregationis Missionis , ubicumque forsàn institutas , & instituendas , illarumque res , Superiores , Ministros , & personas omnimodam superioritatem , & auctoritatem habeat ; de novo perpetuò eadem auctoritate nostrâ , etiam sine Parochorum , & jurium Parochialium Ecclesiarum , & alio-

rum quorumcumque præjudicio erigas, & instituas, illique sic erectæ, & institutæ pro ejus dote omnia, & singula illi deinceps, quandocumque donanda, & assignanda bona ex nunc pro tunc, posteaquam donata, relicta, & assignata fuerint, ita quod liceat illius Superiori Generali, seu ab eo deputato, vel deputatis per se, vel alium, seu alios, illorum omnium corporalem possessionem ipsius Congregationis Missionis nomine, propriâ auctoritate liberè apprehendere, & apprehensas perpetuò retinere, fructusque, & emolumenta exindè provenientia percipere, exigere, & levare, ac in dictæ Congregationis Missionis usus, & utilitatē convertere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, similiter perpetuò auctoritate nostrâ præfatâ applices, & appropries.

propries. Nos enim, si confirmationem, approbationem, novam erectionem, & Institutionem, nec non applicationem, & appropriationem, aliaque præmissa per te vigore præsentium fieri contigerit, ut præfertur, ipsi Congregationi Missionis, illiusque Domibus, ac Generali, aliisque Superioribus, & personis, ipsorumque bonis, & rebus, ut omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, antelationibus, favoribus, indultis, & Indulgentiis, & gratiis, quibus quæcumque aliæ similes, vel dissimiles Congregationes, earumque Domus, ac Generales, & alii Superiores, & Ministri, ac personæ, eorumque res, proprietates, & bona quæcumque utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt

terunt quomodolibet in futurum ,
pariter , & pariformiter , & ab-
sque ullâ prorsus differentiâ , dum-
modo tamen sint in usu , & non re-
vocata , neque sub aliquâ revoca-
tione comprehensa , Sacrisque Ca-
nonibus , & Concilii Tridentini
Decretis , & aliis Apostolicis Con-
stitutionibus , dictæque Congrega-
tionis Missionis Regularibus Insti-
tutis non repugnent , uti , frui , po-
tiri , & gaudere , liberè , & licitè
possint , & valeant , perinde , ac
si illa eis specificè , & particulariter
concessa fuissent , Apostolicâ au-
ctoritate præfatâ earundem , tenore
præsentium pariter perpetuò conce-
dimus , & indulgemus ; nec non
dicto Vincentio , & pro tempore
existenti Superiori Generali dictæ
Congregationis Missionis , ut quo-
tiescumque sibi expedire videbitur,
quæ.

quæcumque Statuta , & Ordinationes , felix regimen , & gubernium , directionem , & administrationem dictæ Congregationis Missionis , illiusque Domorum , personarum , ac bonorum concernentia , licita tamen , & honesta , Sacrisque Canonibus , & Constitutionibus Apostolicis , Conciliique Tridentini Decretis , & Instituto , & Regulæ supradictæ Congregationis Missionis hujusmodi , minimè contraria ; & ab Archiepiscopo Parisiensi approbanda , edere , & condere , illaque quotiès pro rerum , & temporum qualitate expediens videbitur , revocare , alterare , mutare , modificare , & alia de novo , præviis tamen examine , & approbatione hujusmodi , condere possit , & valeat , licentiam , & facultatem itidem perpetuò impertimur ; nec non easdem

presentes litteras semper, & perpetuò validas esse, & fore, nec sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quotiès emanabunt, totiès in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè redintegratas, ac de novo etiam sub quâque posteriori datâ, per modernum, & pro tempore existentem dictæ Congregationis Missionis Superiorem Generalem, Socios, & personas quocumque eligendum, concessas esse: sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos quâvis auctoritate fungentes, judicari, & definiri debere, ac quidquid secùs super his à quoquam quâvis auctoritate attentari

tentari contigerit, irritum decernimus. Non obstantibus Apostolicis, ac in Provincialibus, Synodalibus, Universalibus Conciliis editis, & edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDCXXXII. Pridiè Idus Januarij, Pontificatûs nostri anno X. Loco † plumbi.

ALEXANDRI VII.

*Confirmatio Instituti cum emissionē vō-
torum, eorumque indispensabilitate,
& exemptione à jurisdictione Ordini-
nariarum, anno MDCLV.*

Alexander PP. VII. Ad per-
petuam rei memoriam. Ex cō-
missā Nobis à Supremo Pastore Do-
minici gregis curā, ad ea libenter
intendimus, per quæ Congregatio-
num personarum Ecclesiasticarum
ad majorem Divini nominis glori-
am, & procurandam animarum sa-
lutem, piè, prudenterque institu-
tarum, statui opportunè consuli ar-
bitramur. Itaque nonnulla dubia
super statu Congregationis Missio-
nis in Galliā inceptæ, ac olim à Se-
de Apostolicā approbatæ, enata
tollere, nec non dilectum Filium
Vincentium de Paulo, ejusdem

Congregationis Superiorem Generalem specialibus favoribus , & gratiis prosequi volentes , eumque à quibusvis excommunicationis , suspensionis , & interdicti , aliisque Ecclesiasticis sententiis , censuris , & poenis à jure , vel ab homine , quavis occasione , vel causâ latis , si quibus quomodolibet innodatus existit , ad effectum præsentium duntaxat consequendum , harum serie absolventes , & absolutum fore censentes , supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati , de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sac. Conc. Trid. interpretum , ad quos negotium hujusmodi discutiendum remisimus , consiliis , præfatam Congregationem Missionis , sic , ut præfertur inceptam , & approbatam Apostolicâ auctoritate,

tate , tenore præsentium confirmamus , & approbamus cum emissione votorum simplicium Castitatis , Paupertatis , & Obedientiæ , nec non Stabilitatis in dictâ Congregatione ad effectum se toto vitæ tempore , saluti pauperum rusticorum applicandi , post biennium probationis faciendâ : In quorum tamen votorum emissione nemo interfit , qui ea acceptet , sive nomine Congregationis , sive nostro , & pro tempore existentis Romani Pontificis nomine ; & vota sic , ut supra emissa , possit dissolvere solus Romanus Pontifex , nec non , & Superior Generalis dictæ Congregationis in actu dimissionis è Congregatione. Nemo autem alius , etiam vigore cujuscumque Jubilæi , Bullæ Cruciatæ , seu alterius Privilegii , & Indulti , aut cujuscumque

que Constitutionis , five concessionis , nisi in eis facta fuerit specialis mentio horum votorum , sic ut supra in dictâ Congregatione emissorum , dissolvere , aut commutare , vel dispensare possit , & valeat. Statuentes , ut dictâ Congregatio Missionis exempta sit à subjectione locorum Ordinariorum in omnibus , excepto , quòd personæ , quæ à Superioribus ejusdem Congregationis deputabuntur ad Missiones aliquas , subsint ipsis Ordinariis tantum quoad Missiones , & ea quæ illas concernunt ; utque dictâ Congregatio non censeatur propterea in numero Ordinum Religiosorum , sed sit de Corpore Cleri Sæcularis. Ac decernentes præsentem litteras semper firmas , validas , & efficaces existere , & fore , ac omnibus , & singulis , ad quos spectat , & pro

tem-

tempore spectabit , plenissimè suffragari , & ab illis inviolabiliter observari , sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios , & delegatos , etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari , & definiri debere , ac irritum , & inane , si secùs super his a quocumque , quavis auctoritate , scienter , vel ignoranter contigerit attentari , non obstantibus Constitutionibus , & Ordinationibus Apostolicis , etiam Conciliaribus , nec non , quatenus opus sit dictæ Congregationis , etiam juramento , confirmatione Apostolicâ , vel aliâ quavis firmitate roboratis Statutis , & consuetudinibus , Privilegiis quoque , indultis , & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis , confirmatis , & innovatis , quibus omnibus , & singulis,

gulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque: vólumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impresis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur; si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die XXII. Septembris MDCLV. Pontificatûs nostri anno I.

ALEXANDRI VII.

*Circa exercitia spiritualia ab Ordinandis
peragenda. MDCLXII.*

Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam. Apostolica sollicitudo humilitati nostræ divinitus imposita Nos admonet, ut circa illos, qui in almâ Urbe nostrâ, ex quâ in omnes Christiani Orbis partes bonorum operum exempla ubertim promanant, vicinisque Episcopatibus, sacris addicuntur ministeriis, & in hierarchicum Ecclesiæ cætum cooptantur, ea salubriter constituamus, quæ maturâ consultatione adhibitâ, in Omnipotentis Dei gloriam, & animarum Salutem cedere, & cessura esse arbitramur. Motu itaque proprio, & ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione, nostris, deque Apostolice

æ potestatis plenitudine , tenore præsentium statuimus , mandamus , & ordinamus , ut quicumque in eâdem Urbe , ratione originis , vel beneficii Ecclesiastici , aut domicilii , vel cum litteris Dimissoriis proprii Ordinarii , ad Minores , vel Sacros Ordines promoveri volent , per mensem ante generales ordinationes , dilectum filium nostrum , & pro tempore existentis Romani Pontificis in dictâ Urbe Vicarium in spiritualibus Generalem adeant , & de ipsius mandato ab examinadoribus ad hoc deputatis , non paucioribus , quàm tribus , ac simul congregatis , super scientiâ ad unumquemque Ordinem requisitâ sedulo examinentur , & peracto examine , renuntientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint. Deinde ad Minores quidem Ordines promo-

vendi bonum à Parocho , & à Magistro scholæ , in quâ educantur , testimonium habeant , de quo publicum eidem Vicario exhibeant documentum. Pro iis verò , qui ad singulos Maiores Ordines erunt assumendi , idem Vicarius Parocho , aut alteri , cui magis expedire videbitur , committat , ut nominibus , ac desiderio eorum , qui volent promoveri , publicè in Basilicâ Lateranensi , & in propriâ cujusque Parochiali Ecclesiâ propositis , de ipsorum ordinandorum natalibus , genere , ætate , moribus , & vitâ , Ordinibus ante susceptis , titulis , ad quos promoti sunt , vel promoveri cupiunt , cæterisque qualitatibus requisitis juxta Sacrorum Canonum , & Concilii Tridentini dispositionem à fidedignis diligenter inquirat , & litteras testimoniales ipsam
inqui-

inquisitionem factam continentes , ad ipsum Vicarium quamprimùm tranſmittat. Et nihilominus quotiès aliquem ex Sacris Ordinibus ſuſcipere voluerint , ad Sacerdotes in id deputatos perſonaliter ſe conferant , à quibus decem ſaltem dierum ſpatio ante ordinationem in eorum domo incluſi , de omnibus ad dignè ſuſcipiendos , & ritè exercendos Ordines requiſitis erudiantur , & de hoc teſtimoniales eorundem Sacerdotum ad ipſum Vicarium deferant, nec ſine huiusmodi litteris quiſquam ad ullum Sacrum Ordinem promoveatur , nec cum aliquo ſuper examine , & incluſione huiusmodi diſpenſari poſſit , niſi conſultis Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente. Deniquè in ſex Episcopatibus propè Urbem , in quibus non ſunt ſuffraganei , quicumque ad

Mino-

Minores , vel Sacros Ordines volent promoveri , cum litteris Dimissoriis sui Ordinarij ad memoratum Vicarium , & non ad alium Antistitem directis, ad Urbem accedant, ibique , & non alibi ordinentur , servatâ in omnibus formâ superius præscriptâ. Ubi vero sunt suffraganei , nemo ad aliquem ex Majoribus Ordinibus assumatur , nisi prius præter ea , quæ à Sacris Canonibus , & ejusdem Concilij decretis sancita sunt , adminus per decem dies à dictis Sacerdotibus in Urbe deputatis , in eorum ædibus inclusus , ut supra , fuerit eruditus , ac litteras testimoniales eorundem Sacerdotum ad ipsum suffraganeum detulerit. Suffraganeus autem , qui contrafecerit , ab exercitio Pontificalium per annum , promoti vero tam ab eisdem suffraganeis , quàm etiam in
Urbe,

Urbe , non servatâ formâ præsentis
Constitutionis , ab executione Or-
dinum sic susceptorum , donec No-
bis , & successoribus nostris Roma-
nis Pontificibus visum fuerit , ipso
jure sint suspensi. Decernentes eas-
dem præsentis litteras semper firmas,
validas , & efficaces existere , & fo-
re , suosque plenarios , & integros
effectus sortiri , & obtinere , ac ab
illis , ad quos spectat , & quando-
cumque spectabit , inviolabiliter
observari. Sicque , & non aliter per
quoscumque Judices Ordinarios ,
& delegatos , etiam causarum Pala-
tij Apostolici Auditores , ac S.R.E.
Cardinales , etiam de latere legatos,
& alios quoslibet , quâvis auctori-
tate , præeminentiâ , & potestate
fungentes , & functuros , sublatâ
eis , & eorum cuilibet quâvis aliter
judicandi , & interpretandi faculta-

te, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, ac Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque: Ut autem præsentis litteræ ad omnium notitiam facilius devenire possint, volumus, ut illæ, seu earum exempla ad Valvas præfatæ Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & Cancellariæ Apostolicæ, nec non in acie campi Floræ, ut moris est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctent, & affi-

afficiant, ac si unicuique person-
liter intimatæ fuissent; utque earun-
dem præsentium transumptis, etiam
impressis, manu alicujus Notarij
publici subscriptis, & sigillo perso-
næ in Ecclesiasticâ dignitate consti-
tutæ munitis eadem prorsus fides in
Judicio, & extra adhibeatur, quæ
præsentibus ipsis adhiberetur, si fo-
rent exhibitæ, vel ostensæ. Datum
Romæ apud Sanctam Mariam Ma-
jorem, sub Annulo Piscatoris,
die VII. Augusti MDCLXII. Pon-
tificatûs nostri anno octavo.

ALEXANDRI VII.

Declaratur Nostros subesse Ordinariis locorum quoad functiones, quae Proximum spectant, & biennium probationis explendum ante votorū emissionem. Anno MDCLXII.

Alexander PP. VII. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii humilitati nostræ divinitus impositi sollicitudo Nos admonet, ut Congregationum Virorum uberes in Ecclesiâ Dei bonorum operum fructus proferre jugiter fatigentium opportunis rationibus cōstabilire studeamus, sicuti cognoscimus in Domino salubriter expedire. Alias siquidem Nos nonnulla dubia super statu Congregationis Missionis in Gallia inceptæ, ac olim à Sede Apostolicâ approbatæ, enata tollere volentes, eandem Congregationem,

gregationem , sicut præfertur inceptam , & approbatam , auctoritate Apostolicâ confirmavimus , & approbavimus cum emissione votorum simplicium Castitatis , Paupertatis , & Obedientiæ , nec non stabilitatis in dictâ Congregatione ad effectum se toto vitæ tempore Saluti Pauperum rusticorum applicandi , post biennium probationis faciendâ : statuentes ut dicta Congregatio exempta esset à subjectione locorum Ordinariorum in omnibus , excepto quòd personæ , quæ à Superioribus ejusdem Congregationis deputarentur ad Missiones aliquas subessent ipsis Ordinariis , tantum quoad Missiones , & ea quæ illas concernent , & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die XXII. Septembris MDCLV. expeditis litteris , quarum tenorem præsentibus pro

plenè , & sufficienter expressis habere volumus , uberiùs continetur. Nunc autem alia quoque dubia , quæ super præmissis , seu illorum occasione suboriri possent , opportuna declarationis ministerio removeré cupientes , ac dilectum Filium, Renatum Almeras , modernum dictæ Congregationis Generalem , specialis favore gratiæ prosequi volentes , & à quibuscumque excommunicationis , suspensionis , & interdicti , aliisque Ecclesiasticis sententiis , censuris , & poenis à jure , vel ab homine , quavis occasione , vel causa latis , si quibus quomodolibet innodatus existit , ad effectum præsentium duntaxat consequendum , harum serie absolventes , & absolutum fore censentes , supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinanti,

ti, de Venerabilium Fratrum No-
strorum S. R. E. Cardinalium,
Conc. Trid. interpretum consilio:
Quòd personæ, quæ à Superioribus
memoratae Congregationis Missio-
nis deputabuntur ad alias functiones
ipsius Congregationis, quæ prox-
imum spectant, quales sunt Semi-
naria Ecclesiasticorum externorum
regere, & in illis docere, exercitia
spiritualia tam ordinandis, ut se di-
gne ad Ordinum susceptionem dis-
ponant, quam aliis tradere; colla-
tiones de rebus spiritualibus cum
Ecclesiasticis externis in Domibus
dictæ Congregationis habere, &
illas dirigere, subsint quoque eis-
dem locorum Ordinariis quoad fun-
ctiones hujusmodi, & ea quæ illas
concernunt, eo modo, quo de Mis-
sionibus dictum est. Prætereà quòd
antequam aliquis per votorum, pro
præ.

præfatâ Congregatione à Nobis, ut præfertur, approbatorum emissio- nem in eâdem Congregatione ad- mittatur, debeat biennium proba- tionis explevisse, auctoritate præ- fatâ, tenore præsentium declaramus. Decernentes easdem præsentis litte- ras semper firmas, validas, effica- ces existere, & fore, suosque ple- narios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quando- cumque spectabit, inviolabiliter ob- servari, & illis respectivè plenissi- mè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinari- os, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judica- ri, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quâvis auctoritate scien- ter, vel ignoranter contigerit atten-

tari. Non obstantibus litteris Apostolicis super erectione dictæ Congregationis emanatis, in quibus caveri dicitur expressè, quòd Clerici anno probationis exacto, si idonei judicati fuerint, Corpori ejusdem Congregationis inferantur, nec non quatenus opus sit, prædictis Nostris litteris, ac omnibus, & singulis illis, quæ in illis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque; Volumus autem, ut præsentium litterarum transcriptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, seu dictæ Congregationis Missionis Secretarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ, seu Superioris Generalis ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præsentibus ipsis adhibetur,

retur, si forent exhibitæ, vel offen-
sæ. Datum Romæ apud Sanctam Ma-
riam Maiorem sub Annulo Piscato-
ris, die VII. Octobris MDCLXII.
Pontificatûs nostri anno VIII.

BENEDICTI XIII.

Super Dimissoriis. Anno MDCCXXV.

Benedictus PP. XIII. Ad futu-
ram rei memoriam. Exponi No-
bis nuper fecit dilectus filius Joan-
nes Bonnet Superior Generalis Præs-
byterorum Sæcularium Congrega-
tionis Missionis, quòd Superiores
pro tempore existentes ejusdem Cõ-
gregationis in vim Constitutionum
Apostolicarum fel. rec. Urbani
VIII. & Alexandri VII. Romano-
rum Pontificum, Prædecessorum
Nostrorum, per quas dicta Congre-
gatio

gatio ab Ordinariorum jurisdictione , exceptis pertinentibus ad Missiones duntaxat , exempta reperitur, litteras Dimissorias concesserunt suis subditis , qui post emissa solita vota , tam in hac almâ Urbe Nostrâ , quam in aliis locis , ubi Domus dictæ Congregationis erectæ , & fundatæ sunt , ad omnes etiam Sacros , & Præsbyteratus Ordines promoti fuerunt. Verum quia cùm anno MDCLVII. tempore quo bonæ memoriæ Martius , dum vixit , Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Ginnettus nuncupatus , munus Vicarij dicti Alexandri Prædecessoris in eâdem Urbe in spiritualibus Generalis exercebat , ab illius Auditore difficultas super hoc puncto proposita fuisset , de mandato ejusdem Martij Cardinalis , & Vicarij habita fuit particularis Congregatio,

tio , coram quâ proposito dubio in formâ , Scripturisq; tunc exhibitis , ad eorundem Missionariorum favorem capta fuit resolutio , & ita ab eo tempore praxis concedendi litteras Dimissorias hujusmodi firmata , & hætenùs confirmata fuit. Cùm autem , sicut eadem expositio subjungebat , nonnulli Transmontani Episcopi , quibus vel non bene resolutio prædicta innotescit , vel tametsi ab oraculo Pontificio per organum tunc existentis Brevium Secretorum à Secretis , nonnullis litteris in formâ Brevis desuper expeditis , per quas Clerici memoratæ Congregationis extra tempora à jure statuta ad dictos Sacros Ordines promoveri possent , confirmata , nullius efficaciam penes ipsos existat , nihilominus prædictam facultatem admittere recusent. Ac propterea

dictus

dictus Joannes Superior Generalis ad removendas de cætero hac in re quascumque difficultates , de opportunâ in præmissis declaratione à Nobis provideri summoperè desiderat. Nos igitur ipsum Joannem specialis favore gratiæ prosequi volentes , & à quibusvis excommunicationis , suspensionis , & interdicti , aliisque Ecclesiasticis sententiis , censuris , & pœnis à jure , vel ab homine quâvis occasione , vel causâ latis , si quibus quomodolibet inodatus existit , ad effectum præsentium duntaxat consequendum , harum serie absolventes , & absolutum fore censentes , hujusmodi supplicationibus inclinati , facultatem Superioribus prædictæ Congregationis Missionis concedendi litteras Dimissorias suis subditis ubicumque existentibus , prout illis

competisse resolutum fuit, ut præfertur, adhuc de præfenti competere, authoritate Apostolicâ tenore præsentium declaramus. Decernentes ipsas præfentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium litterarum

rarum tranſumptis , etiam impreſſis , manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis , & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis , eadem proriſus fides in Judici- o , & extra illud adhibeatur , quæ adhiberetur iſis præſentibus , ſi fo- rent exhibitæ , vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Ma- jorem ſub Annulo Piſcatoris , die XVII. Septembris MDCCXXV. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

F I N I S.

INDEX

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS

1725

INDEX CAPITUM

hujus Libelli.

- C**ap. I. De Fine & Instituto Congregationis. 1.
 Cap. II. De Documentis Evangelicis. 5.
 Cap. III. De Paupertate. 23.
 Cap. IV. De Castitate. 27.
 Cap. V. De Obedientiâ. 31.
 Cap. VI. De iis, quæ ad Infirmos spectant. 37.
 Cap. VII. De Modestiâ. 40.
 Cap. VIII. De mutuâ Nostrorum Conversatione. 43.
 Cap. IX. De Conversatione cum Externis. 52.
 Cap. X. De piis Exercitiis in Congregatione observâdis. 57.
 Cap. XI. De Missionibus, cæterisque Congregationis
 Functionibus, erga Proximum obeundis. 72.
 Cap. XII. De nonnullis Mediis, & adjunctis, ad præ-
 dictas Functiones obeundas, requisitis. 80.
 Bulla Urbani VIII. De Ereptione Congregationis. 99.
 Bulla Alexandri VII. De Confirmatione Instituti, &c. 124.
 Bulla Alexandri VII. De Exercitiis spiritualibus, &c. 130.
 Bulla Alexandri VII. De Exemptione cum aliquâ subordi-
 natione erga Ordinar. 138.
 Bulla Benedicti XIII. Super Dimissis ad Ordin. 144.

FINIS LAUS DEO.



u^o 27

car h₂

pick
me
14/1/08

2 K 44
FT 6

